

1

2

3

4

7



1690

1. Bruecknerus, Georg. Heinr.: De fundo informi et Saepit
2. Brueckner, Georg. Henricus: De transmissionibus
hæreditatis. Von weiteren Verfallens mangelbetener
Erbenschaften etc.
3. Brueckner, Georg. Henricus: Dissertationes academicae
continens miscellanea juris
4. Lucius, Hermannus: De voce ambigua
5. Matthiae, Christian. Wilhelmus: De legatione et prius
Causas
6. Matthiae, Christian. Wilhelmus: De antichress
7. Meier, Joh. Henricus: De differentiis aliquæ
Contractuum realium notabilioribus.

8. Schubarth, Wolfgang Christophorus. De exceptione

Spalii

1691.

1. Alberti, Henricus Christophorus: De bonis natura et

usu meritis

2. Lilius, Johann Conrad: De praescriptione moratorum

3. Lueber, Erhard Christianus: De iniuriis capitalibus

4. Matthiae, Wetericus Wilhelmus: De temporibus

5. Meierus, Joh. Henricus: De largitionibus priores

Primum praecipuum imperatoris et Augustae comp.

gatis

6. Meierus, Joh. Henricus: Disputatio inus. juris

continua semis de eadem casuum controversiarum

7. Meier, Joh. Henricus: De actum sufficientia

8. Meier, Joh. Hermann : De alimentis et reothegia
Unterhaltung

9. Meier, Joh. Hermann : De pecunia e fundo i²
fundo redacta

10. Witzinger, Johannes Tacubus : De invidabili latit
charactere

1692.

1. Brueckner, Georgius Hermann : De iure in rem scripto

2. Brueckner, Georgius Hermann : Discursus academicus
continens tractata iura

3. Gaur, Ludovicus : De servitiis feudaliibus Von Leh
Dienst

4. Gericke, Johannes Bernhardus : Disputatio
in generali positiones selectiores exhibentem
patere . . . disquisitionem submittit

5. Lilius, Melchior Ludolphus: De successione ab intestato 11.

Heg. 2.

6. Meuldener, Joh. Christianus: Postulatus in rebus ... 63

quodvis juris naturae definitis et fundamentum,
obvolutio regni, res primariarum precum et
aliamque generalia explicentur

7. Pysel, Johannes Jacobus, orator: De numeris V. M. Messen

8. Lode, Johann Hermannus, orator: juris temporales,
quem Privati Cultoribus d. 1. p. (ex repositio-
nem Gabrielis Walpffels instituit)

9. Lode, Joh. Hermannus: De clausulis, in contractibus
potissimum consensibus antea solitis

10^a 2^a Lode, Johann Hermannus, orator: De privilegiis notariarum
Caesarearum

10^b 2^a Lode, Joh. Hermannus: De obligatione medicorum.

11. Verbi, Justi & De affectibus animi Solomonais









1691, 8

A8

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
ALIMENTIS,

Oder
Nöthiger Unterhaltung/
Qvam

DIVINA AUXILIANTE GRATIA
EX DECRETO & AUTHORITY MAGNIFICI ICTORUM
ORDINIS IN PERANTIOVA CELEBERRIMA ELECTO-
RALI UNIVERSITATE HIERANA
P R Æ S I D E

VIRO PRÆNOBILI ac CONSULTISSIMO

DN: JOH: HENRICO
Meier / J. U. D.

Jurid. Fac. p.t. DECANO, Judicii Elector. Assess.
& Decret. Prof. Public.

PATRONO ac PRÆCEPTORE suo devenerando
PRO OBTINENDIS

JURIBUS & PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
Eruditorum disquisitioni submittit

JOHANN-JACOBUS Waffer/

Moguntinus ibiq; ad S. Victorem Canonicus,
IN AUDITORIO JURID. MAJORE, Horis consvetis.
d. 20. (10.) Decembr. Anno ∞ Ioc XCI.

ERFORDIÆ, Stannô GROSCHIANO.



DISPUTATIO IN MATHEMATICIS
DE
ALLIEMENTIS

Scriptor Joh. Henricus

1711

Publ. in Bibliotheca Universitatis

IN DICTO & ANTHONIATAE MATH. JOHANNI
GROENINGE IN THESES & PROPOSITIONES MATHEMATICAS
RALLI UNIVERSITATE HERRANA

P. R. E. S. I. D. E.

W. G. P. R. E. M. O. B. I. L. & C. O. M. P. L. E. T. I. S. S. I. M. I. S.

DR. JOH. HENRICUS

1711

Just. Jacq. De Gano, Just. Elect. Alle

Doctor. Theol. Prof.

Patrono & Praesid. Joh. Henricus

1711

Juratus & Privilegiis Doctoratus

1711

JOHANNI JACOBUS


Meguntinus 1711 & 2. Visitor Canonici

In Auditorio Joh. Henricus, Her. conf. 1711

& 30. (10) 1711. Anno 1711

1711





I.

AD rem ipsam, antequam quis descendat, *Dividitur* multi per quam utile judicant, pauca *Disputatio* quædam ad meliorem sequentium in- *in tres par-* tellectum, de verbi Etymologia disse- *tes* rere & tractare. Verum nostrâ in materia alimentorum, cum omnia per se pateant, viderique illi possint, quibus hac de re tractare incumbit, ideo ab hac methodo in disputationibus observari solitâ deflectimus. Quare rem ipsam aggredientes, Disputationem nostram tres in partes dividimus, in primâ quærentes, quid sub nomine & appellatione alimentorum venire dicatur; in Secunda, qui ad hæc præstanda obligentur, & in ultimâ denique eorum favorem non nihil contemplantes, omnia pro tempore breviter & succinctè.

2. Nomine alimentorum stricte & specificè sum- *Appellatione* pto illa omnia venire Antonius Perez & Rolanus suis in *alimento-* tractatibus ajunt, quæ sunt necessaria homini ad susten- *rum veniunt* tationem vitæ. Et ut Bart. inquit, in tract. aliment. o- *cibaria.* mnia illa, sine quibus corpus humanum sustentari ne- quit, & quæ hominum natura demonstrat. Quare ve- niunt primo cibaria omnia per. *L. legatis. 6. ff. de ali-* *ment.*

ment. & cibar. legat. cum sine his commoda sustentatio hominis ac vitæ haberi nequeat: videmus enim quotidie humidum radicale invisibiliter consumi, & per hoc corpus debilitari, ideo novo semper cibo, qui inde in carnem & sanguinem convertatur, restaurari, necesse est. Hinc per consequens etiam potus. *L. diariis. ff. de aliment. & cib. legat. L. in rebus. §. possunt ff. commo- dati.* Et ob hoc, qui ad alimenta tenetur, debet tradere aquam, si venalis sit, cum ea sit maximè necessaria ad vitæ sustentationem: hinc est quod olim apud Romanos aqua & ignis interdicebatur, quibus vita denegabatur. *Zæf. ff. d. tit. de aliment. & cibar. legat. numer. 1.* Advertendum autem est aquam non solum esse præstandam, sed & Vasa, in quibus aservari possit. *arg. L. vino ff. de trit. vino & oleo legat.* Nam concessio uno venit id omne, sine quo illud concessum esse non potest. *L. ad legatum. ff. de procurat. L. 1. §. 1. ff. si ususfruct. petat. & L. 2. §. inspectio. ff. quemadmodum testam. aper.*

An aqua
precise, an
verò ejus æ-
stimatio
præstanda
sufficiat.

3. Dubium hic est, an aqua, an vero æstimatio ejus sit præstanda. Et licet Bart. distingvat. in *L. pecunia. n. 2. ff. de alim. & cib. legat.* inter eam, quæ servari potest, & quæ modico durat tempore non ut hæc præstari, sed æstimatio solvi debeat, quæ vero longo tempore durat, eam in specie tradi oportere: Contrarium tamen tenemus, ex eo quod aliud pro alio solui non possit invito creditori. *L. 2. §. mutui datio. ff. de rebus credit.* atque tunc solum æstimationem deberi, quando res debita præstari non potest, vel in subsidium, quando causa aliqua subest, aliàs semper res ipsa danda est. *L. stipulatus & L. si ita fidejussorem. ff. de fidejuss. L. si non sortem §. libertus. si certum petatur,* in quâ dicitur infimili quod ad æstimationem devenitur in subsidium, quando operæ præstari non possunt.

4. Se-

4. Secundò nomine alimentorum veniunt vestimenta, sive vestes, cum hæ ad humanæ vitæ sustentationem, non minus necessariae sint, quam dicta cibaria. *L. verbo victus. de verb. signif. L. legat. ff. de alim. fam. consue. cib. legat.* Ut autem sciatur, quid illorum appellatione veniat, attendenda est cujusque patrisfam. hac in parte consuetudo. Nam quidquid ab eo pro veste reputatum est, id omne vestimentorum appellatione venire, non incongruè statuitur. Quare sub his contineri rectè affirmatur à glossa post textum in *L. vestis. §. 1. ff. de auro & argento legato*, omnia lanea, lineæ, Serica, Bombagina, quæ induendi, ut Camisia, præcingendi, ut cingula, insternendi ut tapeta coopertoria, injiciendi, ut Diploides, accubandi, ut cultræ, causa parata sunt.

5. Ex dictis inferri potest quæ ex causa & in consequentiam alimentorum viduæ, intra annum luctus, si alimenta debeantur, danda sint: Præstandæ namque sunt vestes lugubres & viduales, etiam pretiolæ secundum personarum & mariti def. dignitatem. *Aret. in §. Etus, si alifuerat circa finem. instit. de actionibus & late præter ceteros ponit Vitalis. tit. de alimentis. coll. 8. vers. sed quod in vestibus vidualibus.* Et prædictorum ratio est, quia relictum limitatum non est, sed extenditur ad ea omnia, quæ sunt ad vitam hominis necessaria. Ex quo patet eas non includi, si tantum cibaria relicta fuerint per *L. diaris ff. de alimentis & cibariis legat. Castrensis. in cons. 437. col. 2. num. 2. in fin. Dec. in L. de alimentis. num. 3. Bartol. in tract. aliment. numer. 7. Imo in c. Episcopus num. 7. de præbendis. Simon de Pretis. in dub. 11. n. 43. ubi idemasserit, quando dixisset testator, se relinquere mensam paratam vel plattum, pitantiam, vel victualia, vel admittere eam ad edendum & bibendum in domo. Diversitas ex dicta ratione patet, cum relictum limitatum*

z. vestimenta adcur-
jusq; patris-
tudinem de-
cernenda.

Quæ præ-
standa sint
viduæ intra
annum lu-
ctus, si ali-
menta ei re-
licta sint

est ad comestionem quæ, tanquam, species sub genere, specificum, hoc est limitatum habet effectum.

*Vidua & re-
sarcienda &
renovanda
ab heredi-
bus sunt ve-
stes.*

6. Advertendum tamen ut Bald. in L. 1. n. 5. Cod. de fideicom. monet, viduæ cui relicta alimenta sunt, vestes non tantum ab heredibus prestandas esse, verum & resarciendas, ac renovandas; ubi suboritur quæstio, an vidua alimentaria antiquas & attritas consignare & reddere alimentatori teneatur; ad quod affirmativè iste respondet, limitans tantum in casu, quando veteres vestes necessariae forent pro sustentatione vitæ: Quem sequitur Cordub. in L. si quis à liberis. §. non tantum. num. 6. in princ. ff. de liberis agnoscendis. aliter tamen Imola. in l. his §. servos. ff. soluto matrim. Campeg. in tract. dot. part. 2. l. 56. Alexan. in l. si is qui quadragint. §. fin. num. 5. ff. ad Trebellia Joan. de Garzon in Rub. Cod. de secundis nupt. num. 42. Didac. ad Epitom. de Sponsa. part. 2. cap. 3. §. 9. numer. 11. qui ut variè sentiunt, loquentes meliùs in casu, quando mariti heredes non tenentur uxorem alere, licet teneantur ex consuetudine loci vestire; propterea ex prædictis non benè infertur ad nostrum casum; generaliter dicimus, quod festiva, sive quotidiana vestes sint, & sive per transitum ad secunda vota, aut mortem, luctum finiat, vestes sic attritas & usu consumptas restituendas & extradendas esse.

*Ratio dicto-
rum assigna-
tur.*

7. Horum omnium ratio est, quia obligatus alere id solum facere tenetur, quatenus urget alendi necessitas, hinc quidquid superest deductis alimentis, ad eum pertinet, qui alimenta præstat. Facit, quod qui tenetur alere non videatur donare, sed debitum exsolvere argumento. L. donari. ff. de regul. Juris. & L. velle non creditur. ff. eod. hinc refutantur huic contrarii Auctores, Salicet, scilicet in L. sicut. Cod. de donat. inter. virum & uxorem.

uxorem. Socin. in cons. 134. num. 4. volum. 1. Cagnol.
 in L. contractus quidam n. 39. in fine. ff. de Regul. Juris.
 Afflict. in decis. 315. vers. secundum caput. distinguen-
 tes, an viles & quotidianæ sint, an festivæ & pre-
 tiosæ: primo enim casu donatas & ab hæredibus repeti
 non posse autumant, secus in secundo casu existimantes,
 eas ad usum tantum quasi concessas esse, videatur, re-
 petique ob hoc posse ab hæredibus defunctâ viduâ vel
 e contra. Non negamus tamen viles & quotidianas con-
 cessas ac donatas esse, cum vidua non alatur, sicut enim
 à marito vitâ durante aliàs viles datæ sine spe repeti-
 tionis censentur, ita quoque ab hæredibus hoc in casu a-
 gi, non ita vagè autumabitur.

8. Huic affinis est quæstio, si pro veste emendâ pretium *Alimentari-*
 ab eo, qui alere debet, numeratum sit, alimentarius vero *us potest pre-*
 eam non emerit, an debitor pretium numeratum repe- *tium vestis in*
 tere queat. Et Respondemus nec pecuniam aut vestem *quemcunque*
 condici posse, quando scilicet ea ex dispositione homi- *usum con-*
 nis præstanda est, quod primo ex eo patet, quod si alicui *vertere.*
 ab homine alimenta relicta sint, legatarius legatum
 consequatur, licet illud in alium usum convertendo: vi-
 demus namque alimentarium alimenta præteriti tem-
 poris rectè ab hærede petere, quæ tamen in usum à
 testatore ordinatum converti nequeunt, ali enim nemo
 potest in præteritum, sed in futurum. Sicut igitur hoc
 in casu satis est, quod alimenta præterita dentur &
 recipiantur tanquam res ad finem ordinatum, nec refe-
 rat, quod mutato postea ordine illud quod præteritum
 est, in futurum dirigatur, ita quoque interesse non
 videtur, quod mutato postea proposito in alium usum
 vestis convertatur.

9. Dicta confirmat Bart. per L. cetera §. 1. ff. *Quæ clarius*
de legatis n. 1. ubi ait, quod si prohibente statuto, ne patent ex
 quis

confirmatio. quis frumentum emat ultra usum, tamen quis empto
ne Bartoli. frumento pro usu, mutato exinde proposito, illud ven-
 dat, non incurrere poenam, cum sufficiat, quod in prin-
 cipio eo animo gesserit, licet exinde aliud fecerit. *Et*
hoc dicit valde notandum Marsil. sing. 86. circa finem,
ubi allegat Albe & alios: Brun. de statu. excluden. fam.
art. 6. num. 281. & Bal. in L. inde querit. ff. de exercit.
actione. Petrus Surdus Cassalensis, cui id ipsum proba-
 ri videtur ex textu, in L. 2. §. Titio. ff. de donationibus.
 dum distingvit, an testator foret alioquin relicturus, vel
 non; quæ distinctio non esset necessaria, si non pos-
 set alimentarius convertere in alium usum.

Vestimenta
quo modo
praestanda.

10. Concludimus itaque eo modo & fine vesti-
 menta praestanda esse, quo modo alimenta relicta
 sunt. Sicut igitur aliter alimenta debentur nobili,
 quam plebeio. *Antonius de Butrio. in c. nobis X. de Jure*
patronatus. Felinus in c. cum omnes in Colum. 18. X. de
constitut. cum dignitas personæ, etiam rem digniorem
faciat. L. sed etsi §. 2. de iudiciis. item alimenta aliter
 praestare cogatur pater Dives, quam inops. L. 5. §. si fi-
 lius. de liberis agnoscendis & alendis, ita etiam ob quali-
 tatem personæ, nobili vestis pretiosior conveniet, quam
 plebejo, honoratior à Patre divite, quam patre paupe-
 re, ita *Hiero. Breutler. & Andr. Schœppi. cons. 36. Ja-*
cob. Menochi. consil. 1229. Hinc vestes pretiosæ, ut su-
 pra dictum, non excluduntur, quod tamen cautè ex-
 plicandum est, cum circa *Li pretiosum* auctores mirum
 in modum discrepent: Nam appellatione alimentorum
 etiam venire vestes pretiosas, si conditio, qualitasque re-
 quirat alimentarii, tenet, *Alex. ff. soluto matrimonio.*
num. 26. Bal. in L. si maritus in id. ff. solut. matrim.
Alcia. cons. 241. num. 4. Benincas. in tract. paupert. in
7. Q. 2. specia. judic. num. 40. At in contrarium fle-
 runt

Etunt. *Imol. in Rub. ff. solut. matrim. col. penult. circa fin. Ripa. num. 56.* dicentes, quod sine pretiosis vestibus quis vivere possit: Ergo illæ non veniunt appellatione alimentorum.

11. Sed facile prædicti auctores conciliantur, si *Li Conciliantur Pretiosum* exponatur. *Pretiosum* enim duplici modo *allati Aucto-* sumi potest, & pro ut in se est, & pro ut ad personas com- *res explicato* paratur; in primo enim sensu in terminis suis persistit, *Li Pretio-* nec suscipit majus & minus, nisi comparetur ad res sub *sum.* genere suo contentas, servatque ob hoc semper hoc nomen specificum *Pretiosum*: in secundo vero sensu quasi naturam propriam deserit, assumitque pro qualitate personarum prædicatum necessarium. Sic pretiosæ vestes dici possunt, & tamen cuidam convenire, si qualitas personæ eas exigat. Quod videmus in principibus, quibus debentur vestes auro etiam intextæ, eorumque respectu necessariæ dicuntur. Et hoc in sensu intelligendus est *Alexander*, dum dicit, quod appellatione alimentorum etiam veniant vestes pretiosæ secundum conditionem personarum. *Jmola* vero & *Ripa*, dum contrarium sentiunt, loquuntur de vestibus pretiosis, quæ non sunt necessariæ inspectâ qualitate personarum: atque id innuit *Ripa*, dum dicit, quod pretiosa dicuntur secundum qualitatem personæ.

12. Sed antequam ad tertium procedamus, limitandum duximus ea, quæ latè dicta; Scilicet tunc vestimenta nomine alimentorum venire, quando de iis præstandis agatur, secus vero si de iis remittendis, vel per transactionem, vel viam renunciationis. Cui quidem *Decius in L. de aliment. n. 2. Cod. de transact. Et in L. standis, non 2. numer. 31. de Jurisdic. omn. jud.* contradicit, volens, vero remittendum quod non minus hæ includantur, si de præstandis quam remittendis alimentis quæstio procedat: Rationem

B

quam

Dicta procedunt si agatur de alimentis præstandis, non remittendis.

quam putat valde efficacem esse, dat, quod licet transactio, aut renunciatio alimentorum respectu alimentarii sit valde odiosa, interpretationem tamen latam fieri oportere, cum & in his talem admitti debere Jus doceat. Sed his diu immorandum non est, cum hoc clarè nobis demonstrat *Ulpianus in L. cum hi. 8. ff. de transact.* ubi dicit, *qui transigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione, neque de vestiario transegisse: cum Divus Marcus specialiter etiam de istis transigi voluerit.* Rationem *Bart. in L. legat. ff. de aliment. & cib. legat.* ponit, quia ubi agitur de remittendis alimentis est odiosa, & in eâ sit stricta interpretatio, ubi verò agitur de alimentis debendis, materia est favorabilis, & interpretatio ampla fit. Eodem modo distinguit *Bart. in tract. aliment. num. 2. Cordub. in d. §. non tantum, numer. 40. Menoch. de arbitrar. Jud. casu. 170. n. 27.*

Tertio venit habitatio.

13. Ordinem Jacobi Menochii sequimur quærentes tertio, quid de habitatione dicendum, an ea scilicet etiam appellatione relictorum alimentorum contineatur? Quod affirmantem *in comment. de pres. lib. 4. pres. 157. num. 13. sequuntur Brun. ad L. 6. ff. de aliment. & cib. legat. n. 1. Bart. in tract. aliment. n. 1. Joan. de Anan. in cons. 37. Cordub. loc. alleg. n. 24. Zes. ff. de alim. & cib. legat. num. 1. præcipue Gloss. in L. si quis à liberis. §. non tantum. Simon de Pretis in tract. de interpret. ultim. volunt. l. 4. dub. 8. 61. ubi allegat etiam *Ramin. in cons. 250.* Leges quoque hic non desunt: nam *Paulus. lib. 14. Respons. ad l. 7. ff. de alim. & cib. legat.* dicit, *legatis alimentis, cibaria, vestitus, & habitatio debebitur.* Quod & *Ulpianus* demonstrat, dum inquit. *l. 58. ad L. 43. ff. de Verb. signif. verbo victus continentur, quæ esui potuique, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini, necessaria sunt.* Rationem vero horum omnium dat*

dat *Bologn. in addit.* dum inquit, quod habitatio sit pars alimentorum; hanc illustrat *Zaf. d. l.* cum inquit, eo nomine venit id omne, sine quo corpus ali nequit. Atqui sine habitatione ali alimentarius nequiret, consequi enim is ea commodè non posset. ergo.

14. Ordine horum non nulli Authores credunt contineri sub habitationis vocabulo quasi omnem suppellectilem, sive ea omnia quæ ad mensam & coquinam parata, ac necessaria omnia, quæ ipsa natura simul ac quotidiana experientia docendo demonstrat. Et ad hoc confirmandum *Simon. de Pretis. in tract. de interpret. ult. volunt. l. 4. dub. 11. n. 41. allegat text. in Auth. de appellat. in princ. in c. quam sit. de Elect. in 6.* Rationem insuper addit, quod hæc omnia sunt ad habitationem necessaria, cum sine iis nemo habitare queat. Sed hæc omnimodo concedere nequimus, arbitantes deberi quidem prædicta omnia alimentario, sed non sub hoc vocabulo habitationis; patet enim debitorem domus vel fundi, dare obligatum non esse creditori suo suppellectilem omnem, ac mobilia ad instructionem domus; hoc nobis clarè demonstrat Justinianus noster in Digestis suis, dum nobis in his diversos, sive separatos titulos ponat: alius enim est de fundo instructo, vel instrumento legato, alius de suppellectile legata, & alius de usu, usufructu, & habitatione. Sicut ergo diversa ea sunt, & ob hoc non possit de uno ad aliud inferri. *L. Papinianus, ff. de minorib.* ita hoc sub altero contineri nequaquam potest.

Sub habitacionis vocabulo quid contineri asseritur.

15. Sicuti supra quæsitum est, loquendo de vestibibus alimentarius possit de rebus sibi in alimenta datis prohibito disponere, etiam convertendo in alium usum, ita hic quæri posset, an cui ratione alimentorum assignata domus pro habitatione, possit illam locare alii, Cui non

An alimentarius assignatam domum pro habitatione possit locare alteri.



nulli auctores conformiter ad dicta principia neuiquam assentire queunt, ex eo quod habitatio alimentario non praestetur vigore alicujus legati, per se & primo relicti, sed tantum quasi per accidens, sive in consequentiam alimentorum. Sicut autem hoc in casu praecise usum importat, ita quoque locationem concedendam esse, admitti neuiquam posse ajunt, nam usus ut usus est, alteri relinqui nequit. §. 1. *Inst. de usu & habit.* Verum inherendo dictis, sive nostris principiis, alimentarium, cui concessa habitatio alteri domum locare posse, non negamus. §. 1. *instit. de usu & habit. L. cui antiquitas. Cod. eod. tit. Mantic. de conject. ult. volunt. L. 3. numer. 4. & 8. Jason. in L. si ex toto. §. si num. 17. ff. de legat. 1.* Nam eadem par Ratio est; Sicut enim loquendo de vestibus, alimentarius relicta pro alimentis, ea in alium convertere potest, cum gravati haereditis nihil intersit, & quasi plura legata relicta esse videantur, ita hic haerediti non interesse, & plura quasi in singulos annos legata bene consideranti apparebit. Et hoc dictum velim si alimenta veniant ex dispositione, sive ultimam voluntate hominis; nam loquentes de alimentis ut procedunt ex lege, officio iudicis, aut jure sanguinis, ut prius dictum, contrarium statuendum est, cum alimenta tali non debeantur, si aliunde ut alatur, habeat, & praestanda sint tantummodo secundum indigentiam & necessitatem, non vero ultra usum.

An haerediti gravato variatio sit licita.

16. Dictum est praecedenti §. alimentarium, habitatione legata domum acceptam alteri locare & sic quasi variare posse, unde e contrario indagari poterit, quid sentiendum de debitore, sive haerede gravato, an respectu hujus variatio licita, ratione domus pro habitatione assignatae. Quod ita arbitratur. *Afflict. in constitut. regis, incip. Comitib. in fine. motus per textum. in L. si sterilis.*

*sterilis. §. fin. de action. empti. quem sequitur Rolan in
 conf. 22. num. 1. Menoch. Conf. 62. num. 11. Verum tex-
 tus iste loquitur de obligationibus annuis alternativè
 conceptis, in quibus quolibet anno variare licet, cum
 obligatio tractum habeat successivum in futurum. Ricc.
 Decis. Collect. 301. Jason in L. 8. numer. 20. de legat. 1.
 Joann. Wamm. cent. 3. consil. 95. num. 3. deinde propriè
 variatio non dicitur, cum sint plura debita de quibus
 non hic agimus, sed de uno, & eodem debito alimen-
 torum. Et ita illum textum intelligit Gloss. in L. si ex toto.
 §. fin. ff. ubi eam sequuntur Bart. & alii ff. de legat. 1.
 Tertio quasi contra est quod nos hic non loquamur de
 contractibus in quibus variatio licita est, sed de ultimâ
 voluntate, in quâ à Doctoribus in l. 2. §. 1. ff. de opt.
 legat. regulariter licitam esse non admittitur. L. eum qui
 certarum §. fin. ff. de verbor. obligat. Quare Jasoni &
 aliis quamplurimis auctoribus videtur, non licere debi-
 tori domum semel assignatam revocare ab alimentario.*

17. Verum de hoc nihil statuentes, medium quasi
 tenemus, arbitantes variationem ejusmodi licitam esse,
 si fiat sine incommodo & damno alimentarii, cum regu-
 la juris sit de facili concedendum esse, quod mihi non
 nocet & alteri prodest, quod axioma, licet multas patia-
 tur distinctiones, & exceptiones, ut per Jasonem patet,
 multum tamen rationis simul ac æquitatis continet.
 Brun. ad L. 2. §. penult. ff. de religios. & sumpt. funer.
 & ut funus ducere liceat. ubi ait, servitus in aliquâ certâ
 parte fundi jam constituta alibi potest constitui, quando
 non interest alterius, alteri vero prodest. Socin. in conf.
 14. n. 4. vers. circa tertiam dubitationem. volum. 1. Ce-
 pol. in tract. de servit. rustic. præd. c. 1. col. 2. in quarto
 casu. vers. puto tamen quod liceat.

*Media sen-
 tentia tene-
 tur.*

**Contrarium
tenentes re-
feruntur.**

18. Sed his non obstantibus contrarium tenet *Angel.* & non nulli alii per textum. in *l. 9. ff. de servit.* ubi dicitur, *verum constitit, ut qua primum viam direxisset, ea demum ire agere deberet, nec amplius ejus mutanda potestatem haberet.* Rationem dant *Barbos. ad d. l. 2. part. 2. princ. num. 36. ff. solut. matrim. Ant. Fabr. L. 3. cod. tit. 24. Disp. 4.* quod variatio sit odiosa. Conciliabitur tamen, si cum *Petro Surdo h. t. num. 11.* dicatur, habentem quidem servitutem viæ, vel itineris in aliquo fundo variare non posse, sed electione semel facta cogi per illum, non per alium transire; illum tamen qui servitutem debet, licet semel viam designaverit, uno in loco posse variare, & alium æquè commodum designare. Idem *Brunn. ad l. 9. ff. de servit. num. 4.* dum ait, sed si servientis fundi Dominus peteret, ut alio modo servitus constitueretur, audiendum esse, modo fundus dominans ex determinatione per leviora media idem obtineat, quod per graviora præstatur.

**Eadem sen-
tentia pro-
batur.**

19. Eadem sententia probatur per verba. *L. 2. §. penult. ff. de religios. & sumpt. funer.* ita *Sonantia.* Sed si non minus commodè per alium locum servitute uti potest, non videtur servitutis impediendæ causa id fieri. Rationem *D. Mev. part. 3. decis. 371.* dat hanc, quod ubi aliquid, per æquipollens fieri potest, non resistendum sit, & *Brunn. d. L.* quod iniquum sit denegare alteri, quod tibi non nocet, alteri verò profit, malitius enim hominum indulgendum non est ullo modo *l. 38. ff. de rei vindicat. vid. Gloss. in l. 2. ff. Solut. matrim. in princ. Bart. in l. item. ff. de rerum divis. Surd. de alim. tit. 4. Q. 4. num. 19. & sequent.*

**An habita-
tio veniat
sub renun-
ciatione.**

20. Ex jam dictis & allegatis resolvitur hic etiam in simili jam tacta quæstio, an habitatio veniat, quando de remittendis alimentis agatur. Nam sicuti post *Jacob. Butr.*

Butr. Bart. in l. legat. in princ. ff. de alim. & cibar. legat. ideo conclusit, vestimenta non venire alimentorum appellatione, quia agitur per viam transactionis, renunciationis, adeoque de iis remittendis, & ob hoc in materia qdiosa, quæ semper restringenda est, ita etiam hac in materia rectè statuere, non denegandum est, dum simili modo, sive dum dictus Auctor. *in d. L. legat. ff. de aliment. & cibar. legat.* ait habitationem in materia remittendorum alimentorum non venire. Idem confirmat specialis divi Marci constitutio. *in L. cum bi. 8. §. 12. ff. de transact.* dum *Ulpianus* in hac Lege dicit, qui transigit de alimentis, non videbitur neque de habitatione, neque de vestiario transegisse. *vid. cordub. in d. §. non tantum. num. 40. Benincas. in d. tract. d. special. 2. num. 42. & seq. Menoch. de arbitr. Jud. casu. 176.*

21. Debilitatur corpus humanum non tantum per hoc, quod quotidie consumatur indivisibiliter humidum radicale, sed etiam quod persæpè infirmetur, ideo hic lubebit non inutiliter perscrutari pro quarto requisito quid de medicinis sentiendum sit, an eæ si alimenta debeantur etiam præstandæ sint; & multiplicia à multiplicibus statuuntur. *Specula: 1. in Tit. qui filii sint legit. §. 1. numer. 33.* dicit, aliquos distingvere inter alimenta, quæ officio Judicis debentur, & ea quæ debentur ex contractu, vel testamento. Alii contrarium attentari posse quasi hæsitant, ex eo, quia *in L. si cum dotem §. fin. autem in novissimo. ff. soluto. matrimonio.* Medicinæ ponuntur tanquam quid diversum ab alimentis. *Bart. in d. L. legat. ff. soluto matrimonio.* distingvit inter alimenta simpliciter relicta, & ea quæ servitii causâ præstantur. Ut primo casu absolutè præstari debeantur, secundo verò casu illæ tantummodo, quæ modicæ non quæ graves sunt. *Bald. in d. §. fin. autem,* Sine ullâ limitatione tenet quod

An continentur & medicinae, disceptatur ab auctoribus,

medicinæ

medicinæ appellatione alimentorum non veniant. *Michael Crass.* denique in *tract. sentent. §. Legatum. Q. 22. num. 2.* tenet, considerandas esse facultates ejus, qui alere tenetur, ut si tennes sint; non etiam teneatur ad medicinas si contrario modo se habeant: argumenta quibus prædicti Auctores sunt moti videnda sunt locis allegatis.

*Alimento-
rum nomine
contineri
medicinas
tenet com-
munis opi-
nio.*

22. Communis tamen opinio est alimenta præstare gravatum, teneri etiam in casu necessitatis ad subministrandas medicinas, per consequens alimentorum nomine, eo modo quo vestimenta, cibaria & alia, venire non diffitendum erit, ita *Tiraquell. in tract. Nobilit. c. 31. num. 395.* *Cordua. in l. si quis à liberis. §. non tantum. numer. 29. ff. de liberis agnos. ubi refert. Angel. Aret. suarez. in thesaur. receptar. sentent. in V. alimenta. n. 163.* *Lancell. Gallia in consuetudin. Alexand. in V. Solitos. num. 21. Picus in L. Titia §. si Titia cum nuberet. Q. 63. V. tertio dubitatur. num. 161. ff. de legat. 2. Decius in L. de alimentis num. 3. Cod. de transact. ubi dicit communem esse contra Bald. in d. §. sin autem. Rolanus in conf. 22. numer. 3. Vol. 1. ubi addit Alexand. Bertrant. Ruin. & Cravettam. & subdit includi etiam expensam Medici.*

*Communem
opinionem
& veram es-
se probatur.*

23. Et hoc probatione simul ac ratione non caret, nam quod leges attinet, subobscurè in his contineri affirmat *Petrus Surd. d. loco. Q. 4. num. 1. citans. L. quos nos. §. i. V. vivere. ff. de verb. sig. & l. victus. ff. eod. tit.* quod ad rationes attinet ex generali alimentorum vocabulo, jam sæpè explicato; Nam alimentorum appellatione continetur quidquid necessarium est ad vitæ sustentationem, sed Medicinæ sunt necessariae ad vitæ humanæ sustentationem. Ergo Medicinæ alimentorum appellatione continentur, *min. prob.* qui enim Medicinas subtrahit vitæ

tam

tam videtur subtrahere, & necare. Secundum *Gloss. in L. indignum. ff. quibus ut indig.* ubi à tali hærede tanquam ab indigno fiscus hæreditatem capit, qui testatori ægro-
tanti, & postmodum ex eo mortuo Medicum non adhi-
buit, *Martin. Laud. in tract. de Fisco. verb. 42. Alexand. in cons. 137. in princ. Vol. 7.* ubi ab his ratio assignatur, quod præsumatur mortuus ob non applicata media or-
dinaria, quæ sunt Medicinæ. Eodem modo voluit alle-
gat. *Gloss. in l. si ab hostibus. §. i. solut. matrim.* quod maritus si Medicum non adhibuit uxori infirmæ, à lucro dotis excludatur. *Tiraquell. in tract. nobilit. c. 31. num. 396. Rolan. qui multos addit in tract. de lucro do-
tis Q. 64. num. 1. & seq.* ubi per totam latè agit.

24. Movetur hic à nonnullis Auct. non inelegans *Quid si infir-*
mitas pro-
Quæstio, quid nimirum sentiendum sit de infirmitatibus propriâ culpâ causatis, an tunc etiam Medicinæ præstan-
da veniant, ex eo quod alimenta debeantur? ad quod *priâ culpâ*
resolvendum præsupponimus, quæstionem hîc non esse *causata fue-*
de illis Medicinis, quæ ex Christianâ pietate pauperibus, rit?
ob culpam licet præcedentem debentur. Cum *Beninca-*
sus. in tract. paup. Q. 4. num. 49. nos doceat, largien-
dam esse Eleemosynam sine ullo discrimine habito, quod
egenus sit bonus aut malus. Et quamvis in hoc contra-
rium teneant *Menoch. de arbitr. Judic. casu. 128. n. 42.*
Didacus lib. 2. c. 16. num. 9. ac Decius in cap. cap. quæ
in ecclesiar. num. 30. Verb. tertius & ultimus de constitu-
tion. tenentes tantum in contrario sensu, sive si ex na-
turali tantummodo causâ in talem inciderint, illorum
tamen opinio tanquam inhumana recusatur. *Gloss. in*
cap. sacrorum 12. Q. 2. Gloss. fin. in c. pastoralis. §. ve-
rum de appellatio. præceptis namque Ecclesiasticis simul
ac divinis in hoc præcisè standum ac obediendum est, sine

quod indagetur an hæc sit poena peccati, quod cum à solo Deo tantum puniendum, ideo ab illâ nobis abstrahendum est.

Ad illigendam quæstionem aliquam prænotantur.

25. Secundo sciendum quæstionem ut citandi Auctores ajunt hinc non esse de iis quibus alimenta jure naturæ debentur, uti sunt Filii & Filia ac omnes descendentes, cum etsi ex propriâ culpâ & quasi quæsitâ causâ in infirmitates incidant, tamen adhuc alendi sint, & hoc ipsum naturæ dictamen quotidie parentibus ac nobis omnibus dictat, & admonuisse nos volunt. *Jac. de Aret. in L. libertus qui operarum. ff. de oper. Lib. Baldus Angel. Raven. Decius. Marsf. Pedemon. Bonacos. Firmian.* ac multi alii, qui sic argumentantur: Pater tenetur alere Filium, etsi bona sua sibi assignata proportione paternâ, dissipaverit, sed sub *Li alere*, sive præstandis alimentis medicinæ continentur. Ergo si simpliciter alere tenetur, tenetur & præstare ac assignare medicamenta. *Consequentia* per se patet, cum legitimè ex præmissis inferatur. *Maj:* probat *Jacob. de Aret. in. L. libertus qui operarum. ff. de operis libert. cum Bald. in L. scimus. num. xi. Verb. sexto quæro. Cod. de inofficios. testament.* ubi inquit, Patrem quidem non teneri de novo Filio legitimam assignare, ex eo quod ludendo eam perdiderit, bene tamen alimenta per *L. Imperator. ff. ad senat. consult. Trebellian.* ubi *Papinianus* ait. Pater licet dolosè ageret dilapidando bona fideicommissio subjecta, congruum tamen esse, egenti forte Patri officio Judicis ex accessionibus hæreditariis emolumentum præstari. Alii dictam *Majorem* à ratione probant. Alii ex Jure naturali per se patere inveniunt. Vide *Dec. in L. Jura sanguinis. num. 5. de Reg. Jur. Fabian. Auth. novissima. num. 265. in fin. Cod. de inofficios. testament. Gvid. Pap. sing. 568. nota. pactum. Cuccus in tract. de legit. potest. præterea num.*

4. folio mibi. 136. Cordub. in d. §. idem Iudex. numer. 10.
 Lambertus de Jure Patronatus lib. 3. Q. 3. Princ. art. 6.
 num. 13. non desunt tamen contrarii Auctores, qui te-
 nent quod Pater nullo jure, nullâque humanâ ratione
 teneatur Filio præstare, si jam datam portionem dolo
 dissipaverit, subveniendum nihilominus ei esse ex Chri-
 stianâ pietate, & per viam ac rationem Eleemosynæ, à
 quâ cum nec pauper ut antea dictum, excludatur, ideo
 nec Filius, ne fame & morte miserâ pereat. Et hanc o-
 pinionem tanquam communiorem, & rationibus ac æ-
 quitati conformiorem etiam nos amplectimur.

26. His præmissis ad primam quæstionem reverti-
 mur, statuentes quod Medicinæ relictis alimentis non ve-
 niant, quando suâ & propriâ culpâ quis incidit in infir-
 mitatem: hoc est, quando culpa lata est, crassa, ac simul
 ad infirmitatem ordinata, nam aliàs licet Nomine culpa
 præcesserit, tantum eam puniri, Ratio ac æquitas non
 ferret. Et hoc est quod considerari volunt, Decius in
 cap. 16. num. 9. verb. contrarium. & Menoch. de arbitr.
 Jud. casu. 182. num. 42. dum dicunt, quod alimenta non
 sint præstanda iis qui propriâ culpâ inciderunt in neces-
 sitatem, licet alioquin iis debeantur. vid. Corn. cons. 108.
 colum. penul. Vol. 1. Felin. in cap. si quis tertium. in fin.
 de testibus. Geminian. de Rescript. in 6. Gloss. in. C. sta-
 tum. §. cum vero. ac Bart. ff. si quis cautionibus.

27. Quoad primum membrum probatur per leges
 vulgares, quæ dicunt servum naturaliter obligatum ma-
 nere Domino si is expensas fecerit in curando servo, si
 nimirum eas faciendi culpa causam dederit, unde à con-
 trario docent pro aliis servum ne naturali obligatione
 stringi. vid. in L. peculium. §. sed si ipse. ff. de peculio.
 Ratio vero horum est, quod culpa talis hominis in ma-
 lam partem inclinantis, alteri nocere non debeat, sed

Allata quæ-
 stio resolvi-
 tur.

Dicta con-
 clusio proba-
 tur.

culpa ipsi culpa damnosa *L. si fidejussor. §. si necessaria. ff. qui satisd. cogant. L. non debet alteri. ff. de Reg. Juris. l. si quis in suos. §. legis. cod. de inoffic. testam. cap. culpa. de Reg. Juris. in 6.* ita tenent *Alexand. in l. non tantum in princ. colum. fin. ff. de re Jud. Castrens. in l. etiam. §. fin. solut. matrimon. Bal. c. quis in Ecclesiarum. numer. 18. ff. de Constitut. Tiragvell. in l. si unquam. verb. bona. num. 5. Cod. de revocand. donat.* Facit, quod si filia dotem semel à Patre assignatam consummat, non tenetur Pater illam denuo assignare, ut *Bart. & Alexand. in l. si cum dotem. §. 1. ff. solut. matrimon. sic Bald. in Auth. contra rogatus.* distinguit an dolo vel culpâ ea bona consumpserit, an casu vel sua levitate. Primo enim casu Filium non esse alendum ait, secundo pro filio respondendum non diffidetur. In simili inquirunt *Socin. in l. Marcellus. §. vel quænum. 3. ad senat. Consult. Trebell. Castrens. cons. 8. Vol. 1. Jason. in Auth. res quænum. 32. in quarta decima fallent Cod. commun. de Legat.* quos si revolves, hanc eorum mentem comprehendes, si quod debitum causetur ex ordinatione legis vel naturâ, ei minimè satisfieri per primum aut secundum actum, sed toties eum repetendum ac iterandum esse, quoties necessitas cum æquitate suggerat. Negant itaque si per dolum, culpamve factum sit, quominus ad repetitionem teneatur, atque ob hoc in §. *preced.* Citatorum Auctorum sententiæ ac opinioni assentiri noluimus.

Pars secunda, ubi queritur, qui ad alimenta præstanda teneantur,

28. Quid nomine alimentorum contineatur dictum nunc satis superque, sequitur quid dicendum sit de iis, qui ad præstanda ea teneantur, de quibus cum ingens materiæ campus sit, & pro paucitate temporis & exiguitate virium nonnihil dicturi erimus. Et primo quidem ordinem ac naturam contemplaturi se se offert quæstio



An Pater filios suos legitimos simul ac naturales alere tenatur. Ad quod *Ulpian.* respondet. *L. 2. ff. de liberis agnoscend.* si quis ex his alere detrectet, pro modo facultatum alimenta constituentur quod si non præstentur pignoribus captis & distractis cogetur sententiæ satisfacere. idem nos docet *Canon. 7. dist. 1.* ut videre ibi est. *Justin. Instit. de J. N. & G.* quoque affirmat, dum ait: Jus naturale est quod omnia animalia docuit natura, nam jus istud non humani generis proprium est, sed omnium animalium quæ in cælo, quæ in mari nascuntur, hinc matrimonium appellamus, hinc liberorum procreatio, hinc educatio. plura videnda sunt in tota *Lege si quis ff. de agnoscendis & alend. liber.* quæ tantum loquitur de alimentis parentibus ac liberis debitis. Vid. *Brunnem. ad L. 5. h. t.* hinc eod. *tit. l. 4.* Paulus ait Filios necare parentes, dum illis alimenta denegant. Verba ejus sunt: necare videtur, non tantum is, qui partum perfocat, sed & is qui abjicit, & qui alimonia denegat. & ideo capite plectendus qui non misericordiæ prætereuntium, sed in solitudine infantem exposuit, unde mors secuta. vid. *Bossum. hic. t. de homicid. numer. 7. Finckelth. obs. 86. num. 5. & seq. Wissenbach. disp. 49. th. 13. Carpz princ. Crim. Q. 10. num. 5. & seq.*

29. Hanc autem conclusionem tenent ferè omnes DD. ac passim in ore habent. Vid. *Brunnem. ff. ad d. LL. Zæf. & Perez. eod. tit. Vital. in tract. Clausul. tit. an alimentis renunciari possit: col. 3.* hinc efficacius filiis deberi alimenta, quam uxori ait *Gravet. in Cons. 189. n. 3. Lancell. Gallia in consuetud. Alexand. in V. solidos. num. 42.* & passim DD. omnes docent, adeo strictè alimenta filiis deberi, ut statuto contrarium discerni non possit *Bald. in L. cum lege Cod. de Epis. & Cleric. Cyn. in L. sancimus. Cod. de nuptiis. Ancha. in repet. Cap. 1. Q. 11.*

Allegantur
 Auctores tenentes
 etiam conclusionem,

de constit. Caccialup. in L. omnes populi, num. 75. ff. de sponsalib. part. 2. cap. 8. §. 6. num. 9. verb. secundo inferitur. Rationem dant plerique (1.) quod principale objectum dimensurari debeat à naturâ, à quâ debitum alimentorum originem sumit, quod ergo cum à naturâ sit, hinc prohiberi aut tolli Jure Civili aut prætorio non potest. (2.) quod tale statutum foret injustum atque invalidum. Eandem sententiam tenuit Bald. dum ait in L. fin. §. ipsum autem Cod. de bonis quæ liber. quod licet Filio legitima debeat, Jure Civili tantum, & ob hoc augeri sive minui possit, Jure tamen naturali ac formali alimenta debentur, propterea ea sub hoc nomine ita minui nequit, ut Filius non habeat unde se alat. Ang. ex eo quod dicat, quod statutum legitimam non tollat, dum alimenta includit. ita in L. 1. §. jus naturale in fin. ff. de J. & J. plura Socinus Junior cons. 54. num. 13. vol. 3. Vasquez. de success. creat. lib. 2. §. 20. num. 312. qui alios quidem citat, sed citatis non assentitur.

Quid si juramentum pater vel filius fecerit de non petendis alimentis. 30. Statuto ergo præcisè sub his terminis Filium ab alimentis excludi non posse non incongruè per dicta loca Auctores affirmant. Nunc curiosè quæri posset, an si Pater vel Filius juramentum fecerit de non petendis alimentis, pater nihilominus ad ea Teneatur? sive an tale pactum præstitum confirmari possit? Jure Civili inspecto nihilo magis firmatur, nam Juramentum sequitur naturam actus, actus autem ut in §. seq. dicitur, improbat, ergo per tale Juramentum non firmatur. De Jure Canonico verò controversi posset, ex eo, quod omne Juramentum servandum sit c. quamvis. 2. de pactis in 6. propter vinculum & religionem Juramenti. Sed hoc non obstante contrarium decisum est per cap. cum quidam 12. X. de jurejurand. ubi Pontifex Urbanus addit, talem absolvendum esse ab illius observantiâ Juramenti

menti, cum illicitum sit & contrarium rationi; injuncta illis de hoc, quod male juraverat poenitentiam competentem. Ratio ulterior est, quod juramentum debeat habere tres comites: Veritatem, Judicium, & Justitiam; *Veritatem*, quod illius finis debeat esse confirmatio veritatis. *Judicium*, quod defectus necessitatis, aut utilitatis causa faceret juramentum esse vanum & otiosum, quod est contra reverentiam Deo debitam; & tertio *Justitia*, quod ea desideraretur ad honestatem istius speciei saltem ex causa materiae proximae, qualis est in quam immediate cadit ipsum juramentum, ipsa videlicet assertio, quam oportet esse justam. Quid verò ex his desit in nostro casu clarè consideranti patebit. Tertio rationem dat *Zaf. ff. de juramend.* huic quidem non absimilem, sed tamen clariorem. Nam generaliter statuit, nullius esse momenti superactu lege divinâ vel naturali prohibitio, quia esset contra bonos mores naturales, quos ratio naturalis dicit esse necessarios ad morum honestatem ut procedat *R. J. in 6.* non esse obligatorium contra bonos mores praestitum juramentum. Vid. *Barr. in l. Titia Seio. §. Imperator. col. 1. & 2. ff. de legat. 2. Salic. in l. 1. Cod. de inofficios. donat. Tiraquell. in praefat. l. si unquam. numer. 92. & num. 164. Cod. de revocand. donat. Firmian. in suo repert. in V. pater. num. 10.*

31. Suppositum in §. praeced. nunc probandum vel negandum est, an scilicet pacto fieri possit ne alimenta à Patre praestentur Filio? ad quod argumentando à majori ad minus Respondemus, & quidem sic: transigere non possunt. Ergo nec pacisci. Conseq. patet. Nam transigere quid plus est, cum fiat dato aliquo vel retento; si ergo quod plus est non possunt, neque quod minus, *anteced. prob. ex Ulpiano ad L. 8. Cod. de transact.* qui ait: *de alimentis praeferitis si quaestio deferatur transigi potest, de*

Quid si pater vel filius pater fuerit?

de futuris autem sine Praetore aut Praeside interposita transactio nulla auctoritate Juris censeatur. & idem l. 8. ff. h. t. Divus Marcus Oratione in senatu habitâ effecit, ne aliter alimentorum transactio rata esset, quam si auctoritate Praetoris facta. Vid. Zas. ff. h. t. ubi num. 17. quærit an transactio alimentorum valeat, cui respondet, si ex testamento debeantur, quod non; affirmans in pacto multò magis procedere quasi in hoc major esset prohibitionis ratio cum paciscendo nihil accipiatur transigendo verò aliquid.

Statuta conclusio ulterius probatur.

32. Alias verò statuta thesis etiam probari posset argumento à statuto ad pactum negativè; statuto fieri nequit ut Filius à Patre non recipiat alimenta, ergo neque pacto hoc fieri potest, par enim imo major ratio est, nam si auctoritate quasi publicâ hoc fieri implicat, æquè imo magis auctoritate privata implicabit. Bart. in l. alia §. eleganter circa fin. ff. soluto matrim. Everar. loco. 29. colum. fin. Gloss. in §. cum autem impuberi. in V. jubetur Inst. de adoption. causam sic communiter decidendi allegant: quod pactum contra Jus Naturale non valeat. L. jus agnationis. ff. de pactis. Vid. Bart. in L. si quis à liberis. §. sed si parens. ff. de liber. agnosc. Decius in d. l. jure sanguinis, num. 4. Albertus in l. 1. §. jus naturale. V. sed quæro. ff. de J. & J. Socin. Jun. cons. 54. n. 13.

Quid si tali pacto accedat auctoritas Principis?

33. Verum hæc dicta cum sint de pactis auctoritate privatâ initis, quid si auctoritate publicâ, Principis scilicet, confirmata fuerint? videtur hoc modo fieri posse; nam princeps est legibus solutus. L. digna vox ff. de LL. & quod Principi placet legis habet vigorem L. quod Principi ff. eod. tit. item Princeps dicitur lex animata in terris, §. fin. in autb. de consul. sed primis in terminis standum est, nam ad hoc ut quid vim legis habeat, requiritur quidem, ut Principi

pi placeat, sed per hoc non excluditur Deus, cui æquè placere debet; debet enim ut *Zæf. ff. de LL.* ait Sanctio non tantum esse possibilis, sed etiam honesta. Præterea Princeps quidem solutus lege, sed non dictamine rationis naturalis, proinde & ligatur Jure naturali & Jure Gentium; atque ob hinc sine causâ tollere nequit, quæ sunt Juris Gentium, cum Jus Gentium ratione naturali inductum sit, de his vid. *Bal. in L. 1. num. 5. vers. fin. ff. de constitut. Princip. Rebuff. in Conf. 91. numer. 54. vol. 2. Roland. in Conf. 1. num. 22. vol. 2. Menoch. in conf. 27. num. 22. Felin. in cap. quæ in Ecclesiarum. de constit. Jason.* qui insuper addit: quod Jus Gentium potentius sit quam Principatus ita *in l. quominus. num. 4. ff. de flumin.* facit quod statutum sit quidem lex mortua, tamen viva, & lex procedens à Principe, quidem viva, sed impropria; cum ergo lex propria tantum virium habere nequit, quid lex Principis tanquam lex impropria?

34. Vidimus de Patre, quid de Matre dicendum, an hæc etiam Filios alere teneatur? ad quod Authores communiter respondent, absolutè quidem & simpliciter non teneri alere, restrictivè tamen & intra spatium termini anni triennalis lactare teneri per *L. penul. Cod. de patria potest.* Quam & explicant & assentiuntur *Abb. in tract. de patr. potest. c. 4. n. 22. & Surd. de alim. tit. 1. Q. 14.*

35. Patrem & matrem in lineâ directâ ascendenti-um sequitur avus cum paternus, tum maternus, ideo cum dixerimus, patrem teneri ad alimenta erga filiam, prætereundum non est, an idem sit in avo paterno. Quod & affirmatur ex eo, quod avus dotare teneatur neptem ex filio. *L. & in eo §. fin. & L. sequenti. ff. de in rem versis. l. dotem dedit. ff. de collatio. L. pater. ff. de Eviction. & L. Julianus. §. sed & filius. ff. ad Macedonia. cum L. quia liberos. ff. de rit. nupt.* ubi indicatur, quod avus liberos habens in potestate, alere & matrimonio col-

De matre, quid dicendum statuitur.

Avus paternus nepotes alere teneatur.

D

cloare

locare teneatur. Ita Ripa in L. in quasdam num. 204. ff. ad L. falcidiam. Socinus Jun. cons. 79. num. 15. volum. 13. Natta in cons. 363. num. 5. Bald. & alii in L. fin. Cod. de dot. promis. quibus in locis quam plurima notatu digna videbis, quæ cum nostri fori non sint, ideo benevolum Lectorem eo remittimus, nos vero tantum inferentes, quæ clarè legenti patent.

Dicta conclusio argumentis roboratur.

36. Præterea allata conclusio probatur ex eo, quod pater teneatur alere filios, sed sub nomine Patris continetur & avus. Ergo si filios ut pater, etiam avus ut similiter nomen tenens. Minorem probant ex L. iusta interpretatione ff. de verborum significatio. Quo & facit. L. parentis appellatione. ff. eodem. quod tamen dictum velim in favorabilibus, non tamen correctoriis & odiosis. Ut latè probat Boer. in Decis. 141. numer. 5. Bero. in cons. 149. num. 7. vol. 2. Ascan. de Patr. potes. effectu 1. n. 21. & Bald. in l. scimus num. 12. Cod. de inoff. testamento. alia per se patent. Accedit, quod patri præter alere filium incumbant varia adhuc onera filii, quæ alia non esse inter cætera, quam alere ex filio nepotes asserunt Corral. in L. qui liberos. n. 105. in fin. ff. de rit. nuptiar. Ruin. in cons. 94. num. 7. volum. 5. Brun. de statu exclus. femine. art. 11. num. 89. ac Vital. in tract. claus. tit. an renunt. possit aliment. colum. 3.

Econtra avus maternus non tenetur.

37. In lineâ ascendentium non tantum consideratur avus paternus, sed & maternus, de quo & dubitari posset quid de eo sentiendum. Et resolutio ex citatis legibus descendit; nam ideo avus paternus filios filiorum agnoscere tenetur, quia hi sunt in potestate avi, avo paterno sunt oneri; sed totum hoc fallit respectu avi materni, ut indicat textus in L. non quemadmodum ff. de liberis agnoscendis, quem & explicat Boer. in cons. 17. num. 14. & sequitur Cordub. in l. si quis à liberis. §. non tantum

tantum. num. 69. ff. de liberis agnoscendis. Idipsum ex prædictis elucet, cum avo paterno tantum incumbat onus dotandi, ut latè suprà probatum, & idem clariùs videre est passim apud Doctores in *L. 1. ff. solut. matrim. in l. filiam. ff. ad Trebelli.*

38. Dicta hæc de jure procedunt, quæ tamen ex æquitate limitantur, nam quando dicitur onus patris esse, dotare & alere filios, intelligendum est, quando pater est habilis, nam si mortuus vel per inopiam non potest, sicut respectu matris, ita respectu patris & avi materni exsurgit æquitas ac naturalis ratio dictans, eam obligationem propagari in proximè sequentes, qui sunt avus & avia. Hinc quàm plurimi Doctores tenent avum maternum in subsidium teneri dotare Neptes, in subsidium teneri alere, & in subsidium more patrio illis subvenire, quasi tunc ex potestate patris, quoad hoc recadant in potestatem alienam. vid. *Tiraquell. l. si unquam ver. liberost num. 63. Lup. in. c. per vestros. in teptio nota. §. 24. in principio de donation inter virum & uxorem una cum aliis quàm plurimis, qui tenent non tantum hoc procedere in naturalibus & legitimis, sed etiam in naturalibus & spuriiis, natis tamen ex non punibili coitu; verum cum hanc materiam latè tractent & variè sentiant. Vasquez. de success. creat. l. 2. §. 20. n. 160. Abbas in cap. cum haberet. Colum. fin. Socin. in cons. 161. num. 1. vers. confirmatur. volum. 2. Ludovic. de Sand. in tract. de legitim. part. 2. num. 260. Rolan. in cons. 74. num. 24. & sequent. volum. 1. alios citans, ideo curiosum Lectorem ibi indagandum, admoneo.*

Dicta ex æquitate limitantur.

39. Naturam lex imitatur, ideo cum primo quæsierimus de patre ac filiis naturalibus simul ac legitimis, quærendum, imitando legem, pergimus, quid nimirum de patre ac filiis adoptivis tenendum sit. Quare cum Lex quasi in omni-

Pater adoptivus alere tenetur filios adoptivos.

D 2

mni-

mnibus naturæ se conformare conetur, ideò & priori sententia nos conformandum duximus, & ex eo quidem, quod onus alimentationis sit onus, quod est annexum ipsi filio; eum ergò talis pater ejusmodi hominem in filium acceptet, videtur & se obligare ad ea omnia quæ pater tenetur suo filio præstare. Subsumo. Sed pater tenetur alere filium ergo & adoptans; implicat enim interminis, teneri vi obligationis ejusdam tractare aliquem ut filium, tenere ut unum de sanguine, cognoscere ratione successionis ut descendentem, & non teneri eum alere. Et hæc confirmat *Paulus ad l. 45. ff. de adoptionibus*, dum ait, *onera ejus, qui in adoptionem datus est, ad patrem adoptivum transferuntur*. Et inter onera præcipuum esse onus alimentationis, nemo est, qui ita facile negare poterit, Vid. *Bald. in Auth. nisi rogati n. 19. Cod. ad Trebell. & in l. cum adoptivis numer. 5. Cod. de adoptio. Lampertus de jure patronat. l. 3. in 3. princ. Q. art. 6. num. 15. Barb. in cap. Raynut. col. 29. vers. præterea si dicatur de testament.*

*Contraria
sententia
argumenta
proponun-
tur.*

40. Non desunt tamen, qui contrarium intrepide tenent; per rationem primo, quod concurrente causâ civili ac naturali, hoc semper tanquam potentior prævaleat: Sed quoad secundum comparatur pater naturalis, quoad primum verò adoptivus. Ergo. Item hoc probare conantur per aliquos non bene intellectos textus, qui dicunt, si à patre naturali filiusfamilias in adoptionem detur extraneæ personæ, jura patris ob hoc neutiqvam dissolvuntur, hinc nec in potestate ejus est, nec quidquam ad patrem adoptivum transit, non obstante, quod jura successionis ab intestato filio adoptivo competant. Inferunt, ergo onus alimentationis non transit, sed permanet ut alia jura naturalia in patre naturali,

turali, quibus varia argumenta coaugmentando addunt, sed non ita prementia, quam premere apparentia, ut disputanti tangendo patebit.

41. Ut in dicto casu ingens Doctorum dissensus est, ita non absimilis est in casu huic non dissimili, scilicet an dicta & allegata etiam verificentur in patre spirituali, respectu sui filii regenerati. Quod quilibet primo intuitu perseveranter negabit, cum pater de sacro fonte aliquem levans non id agat, ut ei alimenta præstet: Et cum commodum nullum sentiat, vel ratione successione, vel alicujus alterius rei, nec incommodum sentire statuendum, nemini enim officium suum esse debet damnosum; quod & leges quasi indicare videntur, dum filium spirituales non vocent, aut excludere faciant substitutum, quando vocatur quis sub conditione si decesserit sine filiis.

Quid de patre spirituali sentiendum?

42. Quapropter quasi mediam tenemus sententiam, statuentes, patrem spirituales in subsidium tantummodo teneri alere filium spirituales, hoc est, quando filius aliunde non habet ut se alat, & deficient ii, qui naturali sanguinis ratione, aut speciali aliqua obligatione ad hoc à lege vocantur: Exurgit enim tunc æquitas, ac svadet tam arctum amoris vinculum, quod tam potenter ligat, & tantum operatur quantum naturalis ac conjunctio sanguinis, cui assentitur *Tiraquellus in l. si unquam in ver. libertis. num. 102. Cod. de revocand. donationibus. Abbas. in cap. requisisti. de testibus.* Cui stipulatur argumentum à pari; pater ad alimenta tenetur ex eo, quod minister sit naturalis generationis, quare non ad id teneretur in subsidium pater spiritualis? cum fuerit minister regenerationis, & hæc non minus, à Canonibus attendatur, quam illa, *cap. qui dormierit. 27. Q. 2. cap. ita diligere. & cap. seq. 30. q. 3.* Quare hinc dicitur susce-

Quid sentiendum statuitur.

ptum

ptum de sacro fonte ita debere diligere eum, qui suscepit, sicut verum ac naturalem patrem. Accedit, quod *Tiraquellus in dict. vers. susceperit in liberos. n. 28. & seq.* ait. Quod scilicet talis pater regenerationis in Jus sine veniâ vocari non possit, testis inidoneus sit, recusari ut Judex in causâ, prosequi injuriam filii ac accusare possit, ac tandem non teneatur, nisi quantum facere potest; & ob hoc nonnulli Auctores tenent talem filium non minus puniendum esse, si spirituales, quam si naturalem patrem occidat; Si ergo ab utrâque parte vinculum regenerationis, ejusdemque amor tam multa causet, cur non quoque dicendum, proditam esse à Jure honorariam quandam actionem ad nutritionem spiritualis filii, si egeat *Vid. Reinald. collat. 37. Tiraquell. loco prædic. Franch. in cap. 1. de cognat. Spiritual. l. 6. Bart. in L. alim. §. 1. ff. de alim. & cibar. legatis.*

*Argumenta
resolventur.*

43. Nec ab hoc remouent allata putativa argumenta, nam quoad primum, hoc per se patet, cum qui vult antecedens & velle consequens necessarium censebitur. *Cap. præterea de officio delegati.* Ratione secundi repetantur dicta, ex quibus patet, ad quæ filius ratione patris teneatur; rationem verò successionis solam non obligare ad alimenta, nec horum præstationem ad normam successionis regulari, respondeo; quod etiam concedi posset, cum ex hoc nihil inferatur; nam licet in legibus expressè non inueniamus, patrem spirituales succedere filio, tenent tamen nonnulli graves Authores patrem spirituales deberi ad successionem admitti post agnatos & cognatos, ad hoc ut excludatur fiscus. Ultimum etiam non minoris est momenti, cum verba non fictè, sed in proprio ac vero sensu intelligenda sint. *L. sanctimus. Cod. de nuptiis. de his vid. Dec. in L. 1. num. 20. Cod. unde vir & uxor. Natta in cons. 42. numer. 22.*

Bald.

Bald. in L. si duo ff. de acquirend. heredit. Cast. conf. 30.
num. 1. vol. 1.

44. Dicitur nunc satis de filiis spiritualibus, quid de legitimatis sentiendum venit. Et certè, cum legitimatis nihil differant à legitimis, æqualiter statuendum erit, quod etiam argumento à pari per quam fortiter probatur sic. Naturalibus & spuris alimenta à parentibus præstanda sunt. Ergo multo magis talibus, qui à lege pro legitimis declarati sunt. *Antecedens* quoad primam partem patet ex *Auth. licet Cod. de nat. lib.* ubi de jure civili aperte sancitum, iis ea præstanda esse, quod nonnulli etiam ampliant, ut non solum procedat in filio suscepto ex concubinâ maritali affectu retentâ in domo, sed etiam in quocunqve nato ex soluto & solutâ, sine tamen coitu nefario. Quod de filio volunt; respectu filix autem, ab eodem etiam dotandam esse arbitrantur. De quo plura videri possunt apud *Tiraquell. de jure primogeniturae. Q. 62. num. 12. Bero. in conf. 161. num. 21. Mevius §. duobus in 3. Q. ff. de legat. 2. in l. fin. §. à socero. ff. de his, quæ in fraudem creditorum. Dida in epist. de spons. part. 2. c. 8. §. 6. num. 11.*

Legitimatis etiam alimenta debentur.

45. Quoad secundam partem inspiciendum est *cap. cum haberet. in fine. de eo, qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium.* Ubi rigor juris civilis corrigitur admittendo, quod spurii sint alendi à patre. Quod colligendum ex conjunctione naturali inter patrem & filium ac naturâ, quæ nullam constituit differentiam inter legitimos & illegitimos, cum potius ne eam quidem cognoverit, quare & ab omnibus *ansa* dicitur, cur Canones hoc ita decreverint, sine culpâ enim aliam suâ filii fame periissent, cum mediis ad hoc necessariis à jure destituti fuissent. Hoc latè tractant *Rolan. in conf. 74. num. 39. & 47. volum. 1. & in conf. 22. num. 1.*

Quoad secundum membrum probatur.

Boer.

Boer. in decis. 127. num. 2. Menoch. de præsumptionibus. L. 1. q. 35. n. 13. Decius in cap. clerici. num. 4. de Jud. consequentia est clara, cum legitimatio tanquam honor superveniens non minuat priorem conditionem, quod potius augeat subsequenter statum, detraheret enim aliàs plus, quàm favoris conferret, quod tamen naturæ privilegii repugnat. Rursus ea ex dictis de adoptivo patet, si enim pro veriori sententia illa teneatur, quæ tali filio alimenta præstanda attribuit, & quis erit, qui hanc opinionem tanquam ex illa fluentem, ob hoc pro veriori esse non affirmabit? plus namque est, quod quis sit legitimatus, monstrante hoc jure naturali, quàm adoptatus.

An mater teneatur alere filios naturales.

46. Tetigimus numero superiore Materiam alimentationis, ad quam tenetur pater naturalis, tangamus nunc ordinem matrem, quærentes an & hoc onere ea ligetur? quæ in re nullum dubium esse exc. *cum haberet, X. de eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium* Doctores probant, probationemque ex eo confirmantes, quod jus alimentationis reguletur secundum jus successionis: quod deinde subsumunt, sed filii naturales succedunt matri etiam cum legitimis filiis, *L. si qua illustris. Cod. ad orfici.* Dicitur enim matris hæreditas quasi debita filio naturali, hinc & is potest testamentum matris quasi inofficiosè factum, si prætereatur, accusare. *L. 51. suscepta. §. 2. ff. de inoffic. testamento.* Ergo. Et facit, quod pater teneatur, multo magis ergo mater, quæ semper certa est, licet vulgò conceperit per *L. quia semper ff. de in jus vocando* cum tamen pater non ita certus; cui accedunt dicta latè de patre, avo, ipsa imo matre subsidium tenente, si necessitas hoc requirat. Videatur *Paleot. in tract. de noth. & spur. cap. 48. num. 3. Abbas. in. cap. cum haberet num. 11. de eo, qui duxit in matri-*

matrimonium. quam polluit per adulterium. Speculat. in tit. qui filii sint legitim. §. 1. num. 17. quæ ita vera ait, ut etiam spurium & vulgo quæsitum mater alere obligetur. Ac Bald. in cons. incipit, erant tres fratres. ob hoc inquit, spurio licet matri non succedente, de materna dote ei tamen esse decernenda alimenta.

47. De filiis qualificatis nunc etiam aliqua quæstiones resolvendæ, & primo quidem de filiis & filiabus an alimenta à patre consequantur, si sine consensu illius matrimonium contrahant. Ubi præsupponimus, quæstionem nos non movere, si ultra spretum patris consensum filius ducat uxorem statui suo vel simpliciter indignam, vel è contra, nec si ante vigesimum annum vel post, cum tali se immisceat, sed stando in puris terminis allatæ quæstionis Respondemus de hodierno jure Canonico (quod ratione rei spiritualis attendendum sit) ad hæc patrem teneri. Nam ideo obligatio cessaret, quia de se contrahendo sprevit filius consensum patris, sed talis hodiè absolutè non requiritur, sed tantum de honestate, cum matrimonium initum validum & firmum sit. Ergo. Sequeretur enim aliàs, quod lege permittente quis poenam incurreret, quòd directè est contra *L. Gracchus Cod. de adult.* præterea inferretur, quòd Lex canonica plenè non consulisset pro libertate matrimonii, si jura non revocasset tandem quoad poenam, cum hæc stare nequeat cum plenà libertate hominis, quam tamen dedisse *Canones, DDores* affirmant. Vid. *Bud. in cons. 35. Cagnol. c. accessorium de regul. juris in 6.*

48. Hinc filius aut filia nemini injuriam facit, cum stante Dispositione juris Canonici rectè procedat utendo proprio jure, cum qui utitur suo jure, neminem lædat. *L. quod Reipublicæ §. L. injuriarum ff. de injuriis.* Talem enim tunc inferret, si consensus patris necessarius
E
esset,

Quid si filius matrimonium sine consensu patris contraxerit?

esset, non tamen, quæ sufficiens esset ad neganda alimenta, cum tam potentem effectum nequidem habeat, ut subsecuta exhæredatio valeat, si jam non consideremus necessitatem, quæ erat jure Civili inducta. Non tamen (ut *Zæsius* etiam *ff. de liberis & posthu. hered. instituend. num. 18.* admonet) per hoc negamus, quasi statuto ob justas causas & circumstantias cessantes hoc induci non posset, cum, licet matrimonii substantia statuto quidem impediri non possit, tamen certa pœna si imponatur contrahentibus matrimonium sine consensu patris, illa teneat; ut etiam assentitur *Bald. in L. omnem circa finem Cod. ad Tertullianum*. Cæterum quoad alia, quæ tangebantur, videri possunt, *Imol. in cap. accedens de procur. qui contrarium etiam tenet, si qua nupserit indigno, ex eo, quod neutra sit justa causa exhæredationis. Petrus Surdus hoc tit. num. 24. Glossa in cap. de raptoribus 36. q. 1. Salic. in L. qui liberos. ff. de ritu nuptiar. Fabian. Auth. novissima num. 156. in fine Cod. de inoffic. testamento. Zæsius ff. de lib. & posthu. heredibus instituendis. num. 15. 16. in simili.*

*Quid si filius
est monasterio
expellatur?*

49. Secunda est, an si filius est monasterio expellatur Pater eum agnoscere, & alere teneatur? Quod & affirmamus moti exemplo matris, quæ ut diximus, relevatur quidem alendi onere, si pater dives est, non tamen si ad inopiam vergat, tunc enim resurgit materna obligatio, quæ aliquamdiu sopita erat: ita quoque pater excusatus quidem est ab alendi onere ob ingressum monasterii, tamen si filius egrediatur, prior obligatio non simpliciter extincta sed in parte tantum, denuo reviviscit. Et ratio est, quia necessitas alendi continet processionem temporis, pro illo tempore. Ergo quo filius in claustris est, causa non cessat in totum; non cessante autem causa nec cessat effectus. *Gloss. in cap. eum accessissent verb.*

contra-

contravenerint, Castrens. in cons. 67. per tot. volum. 1.
 qui etiam, a jure, per causam accidentalem ut est ingres-
 sus religionis, non extingvi naturalem ut est alimenta-
 tio, cum potius in concursu præferatur naturalis. *Alexander. in d. §. si maritus num. 6.* Hæc dicta velim, si mo-
 nachus justè expulsus fuerit aliàs enim tenetur monaste-
 rium expulsam alere & recipere.

50. Tertia est an patri ut infideli adhuc incumbat
 onus alendi filium quâ talem, sive ut orthodoxus factus
 est? quod & affirmamus ex eo, quod in hoc summus fa-
 vor veræ religioni præstari debeat, qui hoc statuto,
 minimè præstaretur, cum talis conversus tunc esset de-
 terioris conditionis, quàm antè, quod est expresse con-
 tra *Justinianum in L. 19. §. 1. Cod. de here.* ubi necessi-
 tatem imponit talibus genitoribus, orthodoxos liberos
 secundum vim patrimonii alere, & omnia eis præstare,
 quæ ad quotidianæ vitæ conservationem sufficiant, imò
 addit, sed & dotes profiliabus & nuptiis dare & ante
 nuptias donationes pro filiis & nepotibus perscribere in
 omni casu secundum vires patrimonii. Rationem dat,
 ne propter Divini amoris electionem, paternâ vel mater-
 na sint liberi provisione defraudati. Idipsum indicant
 Canones, ut videre in *c. Judæi. X. de Judæis. c. 1. & c.*
si quis reliquerit. 30. distin. gloss. in c. transmissa, qui fi-
lii sint legitim. Bald. in Auth. si qua mulier. Cod. de sa-
crofanctis. Eccles. decis. in cons. 426. n. 7.

51. Quarta est an obligatio adhuc duret respectu
 patris, si filius sibi ipsi alimenta quærere possit. Quod
 negamus ex eo, quod filio tantummodo debeantur ali-
 menta officio judicis, ac ex jure sanguinis, ne talis filius
 fame pereat, sed si filius habeat, undè se aliat, officium ju-
 dicis cessat ac jura sanguinis effectû civili sunt destituta.
 Ergo. Et hoc non modo si filio donatum sit, unde ali-

*Si filius se
 ipsum alere
 possit, obli-
 gatio exspi-
 rat.*

*Si filius se
 ipsum alere
 possit, obli-
 gatio exspi-
 rat.*

menta habeat, sed & quando possidet Bona, aut artem
 habet, cum hoc modo necessitati suae consulere quis pos-
 sit, hinc non nulli tenent, posse alimenta denegari à pa-
 tre filio, si hic sibi victum ex operis licitis & honestis
 quærere posset & nollet. Ita *Gloss. parva in L. etiam ff. solut. matrim. & in L. si quis argentum. Cod. de donat. decis. in cons. 577. numer. 3. Socinus in cons. 8. num. 13. Abb. in c. 2. de convers. in fid. & hoc, quando filio non est indecorum exercere artem illam, vel operari; aliàs alendus esset, etsi ex arte vivere posset. Vit. in tract. claus. tit. an renunti. poss. aliment. col. 3. in fin. Bart. in L. si quis à liberis. §. sed si filius. num. 132. ff. de liberis agnoscendis.* Qui idem ait, quando morbo laboraret, per quem sibi minimè liceret operari, aut ex artificio, vel etiam ex suorum bonorum redditibus tantum quis non posset percipere, quod sufficiat ad alimenta.

Quid si pater seipsum vix alere queat?

52. Quinta est, an dicta adhuc procedant, si patris substantia ita sit attenuata, ut pro alimentis propriis non sufficiat. Ad quod negative respondendum omnibus non obscurum erit, cum charitas à se incipiat. *L. praeses. Cod. de servit. & quilibet magis sibi providere teneatur, quàm alteri L. Julia. ff. si quis omiss. caus. testament. Marcellus idem hoc confirmat in L. non quemadmodum. 8. ff. de agnosc. liberis.* per verba, quod filia parit, non avo sed patri suo esse oneri, nisi pater aut non sit superflus aut egens. Quando autem talis judicandus sit, discrepant DDres, relinquentes hoc plerumque prudentis Judicis arbitrio. Addit tamen *Alciatus in cons. 243. n. 3.* quod ad cognoscendum, an pater possit seipsum alere & filium, non quantitatem patrimonii, sed redditus bonorum attendendos esse. Vid. *Bal. in L. 1. col. 5. Cod. de inofficios. dote. Bari. in Auth. res qua. num. 4. Cod. com. de leg. & Gloss. in L. si quis à liberis. §. si mater. verb. necessario*

cessario. ff. de liber. agnos. statuens etiam, quod nemo teneatur coarctare sibi victum, ut alium aliat, quem sequuntur Nattain cons. 37. 387. num. 8. Cordub. in d. L. si quis à liberis §. sed si filius num. 134. & §. si quis ex his n. 87.

53. Hac de parentibus aliisque dicta sufficiant; lubet his addere aliqua notatu digna; inter quæ primaria quæstio est, quid sentiendum sit, quod si quis patrem & filium habeat in eadem necessitate constitutos, nec alere utrumque possit, adsit tamen quantum uni subveniri possit, cui magis dare teneatur, patris an filii? Et Respondemus dubitare neminem, filio potius subventurum esse quam patri, si dilectionem consideremus, cum tam prona sit hominis natura ad obliviscendum recepti beneficii; non verò si loquamur de necessitate obligationis, cum nulli sit dubium, quin patri plus debeamus quam cuicunque alii. Et facit, quod prior tempore, sit potior Jure. *c. prior. de Regul. Juris in sexto.* Addo quod sine patre non fuisset filius in Rerum Naturâ, cum ergo ad patrem referenda sit essentia filii, ille in alimentando est filio præferendus, quod & intelligendum de Matre, cum quo ad Naturæ instinctum filius pariter obligetur Matri & Patri, ut inquit Inno. in *c. 2. de Regul. & Preposit. in cap. cum haberet. numer. 6. de eo qui duxit in uxorem eam, quam pollu. per adult.* alias sententiæ nostræ se subscribunt. *D. Thom. in 2. 2. q. 26. art. 9. Alcan. in tract. de patr. potest. effect. 17. n. 34. Bellarm. in cap. parsimoniam. 41. distinct.* Hinc datâ distinctione refutatur argumentum desumptum ex eo, quod amor descendat, non ascendat; *L. nam & si parentibus. ff. de inoff. testam.* Nam hoc tantum procedit quo ad ordinem dilectionis, non autem quo ad effectum obligationis, quæ hac in quæstione attenditur. Eodem modo respondetur, si replicetur, quod pater plus diligit

Patri prius subveniendum est vi contractæ obligationis quam filio si utrumque in casu necessitatis alere nequeat.

filium, quam filius patrem. *L. fin. Cod. de curat. fur.* Et si instant, quod pater Jure naturali teneatur alere filium, & filius contra alit Jure Gentium, adeoque majori obligatione erga filium obstringi, quam erga Patrem: sed resolvitur, quod ubi alimenta debeantur, filio quidem fortius & strictius deberi, quam patri, sed hoc fallere, si ambo concurrant, cum in concursu patris & filii propter maxima beneficia præferatur pater. Quare advertendum est aliud esse obligationem in esse productam, aliud verò antequam in esse producatum; nam existentia Patris impedit, ne oriatur obligatio, siue in causa est ne exerceri possit jus obligationis erga filium, dum patri provisum sit.

*Idem statui-
tur de patre
respectu u-
xoris pro-
pria, non
vero si Ma-
ter respectu
filii, cum pa-
tre concur-
rat.*

54. Sed quid dicendum, si tantum Pater & ejus uxor concurrant, quis præferendus erit, si æqualiter egenus at, & non habeat filius, quantum sufficiat pro subventionis utriusque. Et pro Patre responderi debere affirmat *D. Thom. in 2. 2. Q. 2. art. 11.* motus ex eo, quod ordo dilectionis metiendus sit secundum propinquitatem ad Deum: at Pater Deo similior est, tanquam principium, Facit pro patre Reverentiæ ratio & successionis, secundum quæ sæpe regulatur jus alimentorum, licet non sit ille modus perpetuus. Dicta tamen fallunt, quando quis patrem & matrem habet, nam utrique æqualiter secundum *Bald. in L. furiose. ff. de curato. furio.* subveniendum est. Ratio plerumque assignatur, quod secundum Naturæ instinctum filius æquè obligetur Matri sicut Patri. Vid. *Prepos. in cap. cum haberet. n. 6. circa fin. de eo qui duxit in uxorem quam polluit per adult. Ascani. Clem. in tract. de patr. potest. cap. 4. in princ. numer. 17.*

A quo prius

55. Econverso quæstio moveri posset, si quis egenus, Patrem & filium pariter divitem habeat, quis eorum

eorum conveniendus primo erit? Cui conformiter ad *subvenien-*
 dicta, facile responderetur, affirmando primum, ex eo quod *dum, à pa-*
 Pater teneatur naturali, & civili Jure, quod respectu fi- *tre, an à fi-*
 lii fallit, quod tantum jure civili obligetur: præterea *lio?*
 obligatio alendi descendit ab æquitate & ratione natu-
 rali. *L. si quis à liberis vers. & magis. ff. de liber. agnos.*
 Nec nos quidquam movet, quod Patri jure permissum
 sit, filium vendere. *L. si quis 2. Cod. de patr. qui fil.*
distrab. quod è contra filio non conceditur, ut patrem
 vendat; cum ex eo non inferatur, quod major obliga-
 tio sit, quo ad alimenta in Patre erga filium, quam in
 filio erga Patrem: id enim ratione patriæ potestatis in-
 dultum fuit. Vid. *Bald. in d. L. si quis. numer. 1. ubi*
alii.

56. Pro fine hujus materiæ resolvenda est curiosa illa *Servus an à*
 quæstio, an scilicet servus natus patre libero (is enim ta- *Patre libero*
 lis ex eo dicitur, quod ex ancillâ natus, matris sequatur *an à Domi-*
 conditionem. *L. partus. Cod. de rei vendic.*) ab hoc, *no alendus*
 vel à Domino alendus sit? Quod ultimum affirmat tex- *sit, proponi-*
 tus in *L. si neget. in fin. ff. de lib. agnos.* Ratio vero est, *tur ac resol-*
 quod Dominus teneatur alere servum per *L. cum plu-*
res §. cum tutor. ff. de administ. tut. Cui accedit, quod,
 cum Dominus potestatem habeat in talem suum ser-
 vum, ab eoque commodum percipiat acquisitionum, ac
 omnium servitiorum, merito & illum alere teneatur:
 non dignum enim & justum seminare unum, metere al-
 terum.

57. Hæc dicta sufficiant, quantum jus naturale *Qui Ecclesia*
 nos docet, & ipsa ratio dicit, ulterius progrediendum; & *servit ab Ec-*
 si inspiciamus Canones, sese offert primo quæstio an qui *clesia est a-*
 Ecclesiæ servit, de Ecclesiâ sit alendus? Quod & Cano- *lendus.*
 nes affirmant, dignus enim est operarius suo cibo; di-
 gnus, quod metat temporalia, qui seminat spiritualia,
 ut

ut inquit *Apostolus ad Corinthios. cap. 9. & ponitur in c. cum officii X. de prescript. & apud Math. cap. 18.* hinc sacerdos regulariter alimenta sumit de bonis Ecclesiae, si bona habeat. *c. extirpanda & c. cum secundum Apostolum X. de praben.* alias Parochiani tenentur, quibus, si hoc recusarent, sacramenta denegari possent auctoritate Episcopi *Abb. in c. de Rectoribus. num. 6. Cordub. in d. L. si quis à liberis. §. etsi impubes num. 27. 31. in fine ff. de liber. agnoscend.* Cæterum si talis non gerat curam animarum, volunt Canones eum alendum esse ab illo Episcopo, qui prædictum ordinavit. *c. 2. & c. cum secundum X. de prabend.* nisi habeat beneficium vel patrimonium sufficiens pro vitæ sustentatione, tum enim Episcopum quempiam ordinare posse, Pontifices permittunt. *c. non liceat. c. Episcopus. c. tuis questionibus X. de prabendis. c. si Episcopus eodem in 6.*

Aliqua specialia enarrantur.

58. Dicta à Canonibus extenduntur ad Episcopos, primo, quando visitant Ecclesias Diæcesanas *c. cum sit de Simoniâ,* vocanturque ab iis *Procuraciones.* ita *Abbas numer. 4. de censibus cap. 1. ubi omnes de censibus in 6. Boer. decis. 303. numer. 8.* licet aliàs talis expensa detur in signum subjectionis & ratione hospitalitatis, quam de necessitate juris naturalis, cum Episcopus suos proprios redditus, quibus contentus esse debet, habeat. Secundò, quando Episcopus it ad consecrandam Ecclesiam. *d. c. cum sit,* ubi Ecclesia consecranda ministrat expensas, & hoc si habeat, undè solvat, cum aliàs Episcopus proprio sumptu faciat, *Vid. Specul. de salar. in principio num. 6. Gloss. in d. cap. cum sit.* Tertio, quando Episcopus invitatur Clericos ad ordinandum, consecrandum altaria extra suam Diæcesin. *Abbas in d. c. cum sit. num. 1. de Simo.* Denique prædicta procedunt etiam in prælatis inferioribus, quibus de jure vel consuetudine compe-

competit jus visitandi, aut si Episcopus mittit alios, quibus etiam præstandus est victus necessarius. *Francius in c. si Episcopus de offic. ordin. in sexto.* Et hæc sunt specialia, nam aliàs, qui aliquid facere tenetur, id debet, suis sive propriis sumptibus expedire. *L. quod nisi ff. de operib. Liber. Abbas d. c. cum sit. Jason. in l. cum servus num. 4. ff. de legat.*

59. Monachus ali debet à monasterio, cum hic altari servit, etiam de altari vivere debet. *cap. cum secundum X. de præbend. & hoc sub pœnâ amissionis eorum, quæ monachus adquisivit, ubi tamen excusaretur Abbas, si non posset ob inopiam monasterii, Vid. Bero in conf. 26. num. 12. & Specul. in tit. de Statu monach. §. final. n. 30. & non tantum monachos alere tenetur tale monasterium vel Ecclesia, sed etiam peregrinos delinquentes & ad eam confugientes, cum alias inciderent in manifestam coactionem, quod etiam nec iudex sine periculo excommunicationis impedire potest. *Zæsius de immunit. Eccles. num. 38. Hostiens. in c. inter alia. de immunit. Eccles. Felinus in c. ex rescripto in fine de jure jurand. denique Ecclesia alit patronum pauperem & summâ egestate laborantem de quò latè Zæsius tit. de Jure patronat. Bald. in l. finali Cod. de revocand. donationibus. Paulus de Cittad. in Tract. de jure Patr. in 4. art. 6. part. n. 117.**

60. Quid verò hîc dicendum, ubi pater monasterium ingreditur, se, bonaque dicando, & filii interim pauperes & miseri existant, an tunc monasterium illos alere teneatur? Et si consideremus, quod monasterium ad omnia ingressi onera teneatur, ut *Bart. in l. fin. ff. de si pauperes adopt. ait, & quod transeant omnes actiones activæ & passivæ in monasterium quæ competebant monacho, & contra monachum, ut vult Jason in auth. ingressi. dicendum sequitur, onus etiam alendi in monasterium transire*

Monachum
monasterium
alere tenetur.

Quid si in-
terim filii
talis ingres-
sionis
& miseri
existant?

F

transire



transire, tanquam in heredem, cui ideo sequuntur incommoda, quod commoda amplexus fuerit, ex ratione *L. secundum naturam. ff. de Reg. Jur.* quod cum sequuntur incommoda, quem sequuntur commoda. *Dixi tanquam in heredem*, quod eo etiam extenditur, ut non tantum sit loco heredis sed & filii. §. *sed & hoc presenti. in Auth. de Sanct. Epis. & in Auth. nisi rogati. Cod. ad Trebell. subsumo*: sed haeres & filius testatoris tenentur alere filios superstites. Ergo & multo magis monasterium, cum ei & adhuc addatur illa qualitas *erga filios monachi tanquam pauperes, erga filios Benefactoris, erga filios Donatoris*. Dicta late intellecta velim etiam de filiis spuris, ut *Didac. in Epito. de spons. part. 2. cap. 8. §. 6. n. 14.* admonet ex eo, quod spurii comparentur legitimis quo ad commodum alimentorum. Idem dic de monasterio respectu Patris, si patre relicto paupere filius monasterium ingrediens ei obtulerit propria bona, vid. *Bart. in tract. de aliment. n. 41, D. Thom. in 2. 2. Q. 86. art. 3.*

Subditi tenentur alere Dominum.

61. A Canonibus ad alia progredimur, quærentes quid de subditis tenendum sit, an hi teneantur alere dominum! Et *Natta in cons. 487. num. 12.* respondet, quod ita; quem etiam sequuntur *Bero cons. 81. num. 7. Bald. in L. 1. circa finem Cod. de hered.* Ratio communiter adsignatur ea, quod si dominus imponere possit subsidium charitativum pro defensione patriæ, multo magis pro sustentatione vitæ ut omnibus rebus anteponenda est, imponere poterit. Contrarium tamen tenent *Afflictus in constitutio: incipit quam plurimum. numer. 28. Salicet. in L. solo Cod. de lib. caus.*

Econtra Princeps populo providere tenetur.

62. Econtra populo providere tenetur Princeps, Civitas, vel Respublica; cum si non subveniant populo in alimentis, eum occidere videntur, *L. negare ff. de lib.*

lib. agnos. præterea Reipublicæ interest ne pauperes moriantur, cum sine pauperibus civitas neutiquam perfecta sit *L. 2. ff. de mund.* Quare si extet defectus victualium omnes pro modo facultatum suarum vendere & contribuere tenentur, ut tantum de populo ii alantur, quod & in magnis civitatibus, ubi non solum secularis iudex, sed Episcopus etiam ad hoc homines cogit per *L. scilicet fin. §. item Episcop. ff. de Muneri. & hon. vid. Bart. in L. 1. §. cura carnis. ff. de offic. Præf. Urb. Ripa in Tract. de remed. præservat. contra Pestem n. 186.*

63. Militibus etiam non denegantur illa, quæ jure communi aliis conceduntur, ac propterea milites suos princeps alit. *L. milites in fin. Codic. locat.* fierent enim alias sub hoc prætextu *alimenta quærendi*, fures publici aut prædones, quod Canones neutiquam permittunt, concedentes, ut hac ratione tantum stipendia præstentur. Ratio verò est, quod nemo teneatur propriis militare stipendiis. *cap. cum officii X. de præscript.* Et ex hinc tot privilegia militum, nam stipendium eis debetur etiam durante infirmitate, consequuntur medii temporis stipendia, quando sine culpâ capiuntur ab hostibus *L. 3. §. sed si ex improviso. ff. de re milit.* quæ etiam eis distribuuntur pro tempore, quo sunt non solum in expeditione, sed etiam in itinere, imò et si ex Licentiâ absint, cum commeatum pro eo tempore habere videantur.

64. Militant etiam Doctores ac Discipuli, sed diverso respectu; hinc consequenter sollicitè scrutari posset, an eadem obligatio in discipulis respectu Magistrorum sive Doctorum suorum resideat? ubi tantum respectum velim sapiens illud dictum & vulgo receptum, *quod patrie, parentibus & Magistris sufficientes grates nunquam referre possimus.* Quare reverentiam debet summam discipulus suo Doctori, nec is ab illo sine ve-

*Privilegia
militum re-
censentur.*

*Quid de Do-
ctoribus sive
magistris di-
cendum?*

nia in jus vocari poterit. Vid. *Cag. lib. 2. in fin. n. 582. Gloss. penul. in cap. 123. q. 5. Alber. in l. generaliter. n. 2. Cod. de in jus vocando.*

*Quomodo
filius Vasalli
imperfectus
alimentan-
dus sit decla-
ratur.*

65. Dubitari hic potest, quid statuendum sit de fi-
lio Vasalli imperfecto & inhabili ad serviendum, an, cum
talis ratione defectus naturalis in feudo suorum Majo-
rum non succedat, Dominus ei teneatur subministra-
re alimenta de fructibus feudi? Quod ita servari vult
Ca. 1. §. fin. in tit. Episcop. vel Abba. si scilicet filius ta-
lis Vasalli aliunde non habeat, quo se alere possit, &
præterea feudum sit pingve. Et hoc ex merâ æquitate,
sive in prioris Vasalligii honorem. Dicta tamen intel-
ligenda sunt, quando inhabilitas ex defectu naturali de-
scendit, non si ex delicto vasalli proveniat. Vid. *Aret. in
L. si quis non. col. 2. ff. de acquir. hered. Alvar. colum.
2. in. 2. not. ver. nota æquitatem.*

*Alimenta
debentur te-
sti, & opera-
rio servo.*

66. Alimenta sive expensæ etiam debentur testi à
producente, non tantum pro tempore quo vadit, sed &
quo stat, & redit. Et ab hoc nec eximitur Respublica,
quando proceditur per inquisitionem. Ubi insuper non
nulli tenent quod ejusmodi testis consequi possit aliquid
ultra expensas in recompensationem eorum, quæ perdit,
quando avocatur à negotiis. Ratio est, quod officium
proprium nulli esse debeat damnosum. *L. & si quis. ff.
quemd. testam. aper.* ac nemo jacturam sentire debeat
pro alieno commodo per *L. si quando. Cod. de testib.*
vid. *Bald. in c. 1. eod. tit. num. 2. & Bologn. in conf. 27.
num. 13.* Eadem negari non debent operario servo, cum
hunc alere teneatur Dominus, per *L. cum plures. §. cum
tutor. ff. de administ. tut.* Imo operario, si operas pro-
mitteret, & præstaret ex causâ remunerationis, essetque
simul inops, nec haberet aliunde. Vid. *L. penult. ff. de
oper. liber.* Rationem assignat *Jul. Ferret. de Milit. Just.
num.*

num. 123. alias operarius conductus ratione operis faciendi sibi ipsi expensas & sumptus præstare debet, *Ferret. d. l. Bald. in L. liberti n. 11. Cod. de oper. lib.*

67. Uxores, propter materiae campum vix omissemus, quia tamen hac de re non nihil scire, etiam perutile est, ideo de iis aliqua lubet tangere, statuendo i. *Quid de uxore statuendum declaratur, & legit. & L. filia. §. 1. ff. fam. Hiersis.* Et hac ratione dos primo quæ haberi dicitur titulo oneroso. *L. ex promissione. ff. de act. dem si sana & oblig.* Quæ per se vera & certa sunt, quando uxor servitia præstet. *sana servit marito,* ita etiam ut maritus cum juramento non possit uxorem privare alimentis. Et hoc ex eo, cum actus concernat commodum tertii, & quod non dependeat à potestate Jurantis. Vid. *Tiraquell. in præf. L. si unquam. num. 164. in fin. Cod. de revo. donat.* Quare & tenetur uxorem alere quam duxit sine dote, aut doti promissione, cum videatur personam suam loco dotis ddisse. De his vid. text. in *L. quod si nulla. ff. de relig. & sump. fun. & §. penult. in Auth. quib. mod. natur. efficit. legit.* Imo et si uxor non sit in obsequio viri, culpa tamen mariti secessit in aliam domum, cum per eam non stet, quo minus serviat in domo. *Socin. in cons. 64. n. 1. Ruin. in cons. 144. num. 5. & Natt. in cons. 547. n. 14.* aliàs si secessit à Domo mariti absque propriâ vel mariti culpa, is tamen eam adhuc alere tenetur, si dotem habeat. *L. si cum dotem. §. fin. autem in servitissimo. ff. solut. mar.* Ubi *Aret.* ita intelligit, & *Casir. in cons. 65. in fin. vol. 1.* ubi exemplificat in eo, cui obiciebatur, quod marito venenum propinasset: nam justâ de causâ secedit à viro, & id viro quoque imputari non potest.

68. Et hæc de firmâ & sanâ, loquendo vero de *Quid si gra-* occupata infirmitate tali, quæ à viri obsequio ac quoti- *vi laboret* dianis servitiis retrahat, dicendum nihilominus alendam morbo, senti- *esse endum expo-* nitur.

esse à marito secundum fructus acceptæ dotis. *d. §. fin autem in sevisimo.* vid. *Cyn. Castr. & Salyc. in L. quod in uxorem. Cod. de neg. gest.* qui si non sufficiant pro alimentis & impensis ægræ mulieri necessariis, quod deest supplendum est ab uxore, *si dives est.* *Cyn. Castr. & Salyc. d. locis,* quibus adde *Ruin. in cons. 722. vol. 1. qui & cons. 139. num. 3. in fin. vol. 4.* casum proponit, si uxor infirma fuerit aliquot tantum mensibus, an maritus prius erogare teneatur fructus totius anni; cui negativè quidem respondet, nihil tamen allegans: Verum opinio ejus æqvitatem habet, cum dotis fructus marito cedant pro oneribus matrimonii, & ob hinc dividi debeant pro ratâ temporis, quo onera sustententur, vid. *Surd. h. L. trac. de alim. t. 1. Q. 33. num. 18.*

Dicta ulterius explanantur.

69. Et hæc si uxor, cum fructus dotis non suppetant, *dives* est, quid verò si *pauper.* habens tamen patrem divitem, vel hoc mortuo fratres, vel hæredes patris? Ad quod communiter Moderni DD. affirmativè respondent cum filius videatur ea possidere, quæ pater possidet, & æstimum patris videatur æstimum filii, nec filius inops dici possit, quando suæ inopiæ succurrere potest, cogendo patrem ut se alat plures rationes assignat *Dyn. & Bart. in L. non quemadmodum. ff. de lib. agnos.* per hoc tamen non excluditur maritus; hic enim in subsidium ad ea tenetur, cum, si non extent pater, mater, fratres, vel hæredes patris, à marito alimenta sint ministranda. De hoc latè tractat *Castr. in d. L. quod si in uxorem. num. 3. Cod. de nego. gest. Rolan. in tract. de lucro do. Q. 69. n. 6.* ac multi alii, quibus tamen non obstantibus directè contrarium tenent *Socin. in cons. 64. num. 3. vol. 4. Jac. But. d. L. quod in uxorem & Ange. in L. unica. §. cum autem. Cod. de re. ux. act.* Eodem modo discurre, si indotata uxor, facta fuerit infirma, tunc enim ultimo loco te-

co tenetur maritus, cum sibi imputare debeat quod principio non convenerit de dote. vid. *Castre. in d. L. quod in uxorem. Rain. in cons. 139. n. 3. vol. 3.*

70. Pro fine secundæ partis non erit abs re, si *Infantes ex-* tandem quæramus, quid sentiendum foret, si infantes *positos qui* ponantur, & eorum parentes ignorentur? Rursus, si *alere tenetur?* quis carceratus sit pro debito civili, aut pro crimine commisso, cui interim alimentorum datio incumbat? Et quantum ad primum respondet *Abb. in c. 1. de infant. & languid.* alimenta præstanda esse ab Ecclesia vel ejus Rectore, Cæterum hodie in plerisque locis extant publica hospitalia, quibus deficientibus Communitates Locorum eos recipiunt, publicisque impensis, nutricibus eos dant nutriendos. Idem dic de partu mulieris, quæ ratione delicti commissi condemnata fuit.

71. Ad secundum tum Leges, tum communiter omnes Doctores respondent, debere carceratum se ipsum, *Carceratus* in casu quo solvendo est, alere. vid. §. *si unum. Auth. cum à quo alendus.* *appel. cognos. & L. quemadmodum §. magistratus. ff. de de Leg. Aquil.* Ex quibus e contrario patet, si non habeat de suo, tenere eum, qui illum carcerari jussit, adeo ut etiam non nulli teneant, si hic carceratum alere recuset, Judicem posse eum relaxare. *Cordub. in L. si quis à liberis. §. solent. num. 37. ff. de lib. agnos. Quidam Papa. Q. 211. n. 2.* Eodem modo discurre, loquendo de tertio, si enim pauper est, à curia alendus est. *Albert. in L. fin. Cod. de ordin. cogn. Afflict. decis. 71. n. 2.*

72. Plura de hac materia dicenda forent, sed alata causa eam constringere jubet, quare tertiam aggressi partem, nonnihil de favore alimentorum præstantur dicemus, hic namque sanè exiguus non est, ob causam quam continet satis piam, ac favorabilem; Sic pactum nudum de Jure Civili nullam actionem producit,

Pars tertia favor alimentorum explicatur, & i. quidem

in pacto nu-
do, quod hoc
casu actio-
nem produ-
cit.

ct, etiamsi juramento sit vallatum. *L. jurisgentium. §.*
sed cum nulla. ff. de pactis. quod tamen hoc in casu fal-
lit, cum favore alimentorum pactum etiam nudum actio-
nem producat. *L. inter socerum. §. convenit. ff. de pact.*
dot. Item inter patrem & filium de Jure Civili Contra-
ctus iustus ob patriam potestatem non subsistit, nec inter
hos lis stare potest per *L. lis nulla. ff. de Jud. l. 2. Cod.*
de inoff. donat. l. 2. ff. de contrah. empt. quare filius pa-
trem sine venia in iudicium vocare nequit, quod tamen
causâ alimentorum fallit per *L. si quis à liberis. in princ.*
ff. de liber. agnos. l. fin. §. ipsum autem. Cod. de bonis
quæ liber. Ratio est, quia inter prædictos lis esse potest,
quandocunque agitur de his, quorum ususfructus non
quæritur patri *L. Imperator. ff. ad Trebellia.* plura ha-
bent *Bald. in L. jubemus. §. in supradictis. num. 1. Cod.*
d. t. Jason in L. fin. Cod. de in jus vocand. aliâs secun-
dum Canones nihil speciale est ut patet ex *Cap. non est no-*
bis X. de sponsal. cum hoc jure naturalis ratio tantum
attendatur.

Subditi pos-
sunt aliena-
ri invito.

73. Præterea per *C. 1. §. ducatus. de prohib. Feud.*
alien. subditi non possunt alienari invito, nemo enim al-
terius cogitur esse Vasallus. per *L. 15. ff. de fideicom.*
quod tamen hoc respectu limitatur, cum imminente fa-
me invitos subditos & Vasallos tantum ut se alere queat,
alienare possit, & ita tenent *Benincas. in tract. pauper.*
in. 8. Q. 12. §. special. Jud. num. 24. & Alber. in L. 11.
Cod. de donatio. Stante eadem ratione & necessitate pot-
est sine domini consensu vasallus feudi commoditates ad
vitam vendere, quod licet nihil sit speciale, dicta tamen
nonnulli etiam extendunt eò, quod sicut ex causa neces-
sitaris licet Domino alienare vasallum invitum, eodem
modo licere debeat vasallo alienare jus feudi in scio Do-
mino.

mino. Sed quid hic statuendum cuique relinquo, vid.
Afflic. in decis. 263. n. 2. Bald. in cons. 97. Vol. 3.

74. Favor alimentorum eò se extendit, ut plerique
 Doctores statuunt causam alimentorum communiter tra-
 ctandam esse *summariè*, & ita non requiri primo ajunt
 libellum aut litis contestationem, dilationes ob hoc con-
 cedendas esse breviores ac ferias nullo modo esse obser-
 vandas, per *L. 2. ff. de Jud. L. 2. ff. de feriis. Clem. saepe.*
de V. S. & L. Julianus. ff. de liber. agnosc. it. Bart. in
L. de alimentis. num. 2. Cod. de transact. Abb. in cap. fin.
de Offic. Jud. num. 10. Menoch. arbitr. Jud. casu. 52. n.
 12. Observa tamen dicta procedere tantum respectu ali-
 mentorum præteritorum tantum, cum in hoc casu tan-
 tum militet ratio necessitatis simul ac pietatis, secundo
 quando officio iudicis petuntur, cum hoc sensu petantur
 in casu necessitatis, quod secus esset si peterentur jure
 actionis, & actor aliunde haberet, adeoque cessante cau-
 sâ pietatis; aliæ limitationes videri possunt, in *Aret. in*
cons. 97. in fin. Tiraquell. in tract. cessant. caus. in princ.
num. 197. Cod. in L. si quis à liber. §. si vel parens num. 12.
ff. de liber. agnosc.

*Favor re-
 spectu judi-
 cii expli-
 catur.*

75. Ultra progrediuntur prædicti Auctores ac di-
 cunt, stante eadem causâ Judicem debere impertiri officii-
 um suum tali reo etiam non petenti; rationem dant, quod
 Judex in omni piâ causâ etiam nõ requisitus officium suum
 interponere debeat, *L. nec quicquam. S. ult. ff. de off. pro-*
cons. hinc & hoc in casu intellectum volunt, præsupposi-
to tamen, quod miserabili debeantur persone, vel paupe-
ri, non autem quando relicta sunt diviti, aliâs verò
 contrarium statuendum foret, per *L. 1. §. si Magistratus.*
ff. de Magist. Conven. L. 4. §. hoc autem iudicium ff. de
damn. infect. vid. Tiraquell. de privileg. n. 152. circa fin.
Cordub. in §. si quis à liber. §. utrum num. 11. ff. de liber.
 G *agnosc.*

*Judex etiam
 non requisi-
 tus suum of-
 ficium im-
 pertitur.*

agnos. tenente interim contrarium *Bart. in L. servo. in pr. ff. de aliment. & cibar. legat.*

Judex Eccle-
siasticus co-
gnoscit in
causa Laici.

76. Ita tenetur (si scilicet datum vel relictum sit piæ cau-
sæ) Judex Laicus, qui si negligens sit, adiri poterit, Ecclesia-
sticus *cap. significantibus X. de offic. delegat.* hinc Episco-
pus exequi potest, disposita per defunctum non obstante il-
lius prohibitione, *L. nulli. & L. si quis ad declinandum. Cod. de Episc. & Cler.* diciturque in *L. 1. d. t.* quod habeat
pro causis pijs jurisdictionem in Laicos. vid. *Cord. in D. L. si quis à lib. in pr. num. 39. ff. de lib. agnos. Bart. in L. so- lent num. 13. ff. de alim. & cibar. legat.* Cæterum Judex
Ecclesiasticus non potest causam cognoscere contra Laicum
conventum, *L. 2. Cod. de Jurisd. omn. Jud. & Cap. cum sit generali X. de foro compet. vid. Bald. in L. 1. num. 1. de of- fic. Consul.*

Pendente
appellatione
alimenta
decernun-
tur.

77. Præter hæc adhuc nonnulla alia specialia addunt
nominati Doctores scilicet, quod pendente appellatione v.
g. super validitate matrimonii decernenda sint interim ali-
menta uxori, arg. *C. 11. X. de accusat.* causa enim alimen-
torum est diversa causa, & non de processu causæ, in qua
fuit appellatum; facit quod non sit propriè attentatum
quando lite pendente Judex de alimentis uxori providet.
Afflict. in decis. 152. Lancell. in tract. de attent. in 2. part. c. 12. lim. 24. in pr. Ex eodem fonte fluit appellantem non au-
diri, nisi prius alimenta solvat, prohiberetur enim alias ap-
pellatus defendere causam si interim non alatur, ita deci-
sum fuit in *Rota* ut refert *Caput. Aquen. in decis. 118. l. 1.*

Quid hoc in
casu ratione
concessarum
induciarum
statuendum
exponitur.

78. Ex dictis sequitur quod Princeps si inducias gene-
raliter concedat, non extendantur ad eum, qui debitor est,
ex causâ alimentorum, cum generalis dispositio non inclu-
dat causas, quæ reperiuntur in specie privilegiatæ; quod
& confirmatur ex eo, quod superior moveatur ex quadam
æquitate ad concedendas has dilationes, imò potius ex sin-
gulari

gulari commiseratione ; sed hoc falsificaretur cum æquitas æquitatem tollat , ac commiseratio commiserationem impediatur , si retardaretur exactio alimentorum : dicta tamen à nonnullis limitantur , si agatur de alimentis præteritis, & de ijs qui diviti, aut actionis jure debentur.

79. Præterea confinia superioribus sunt, quod stipulari quidem alteri nemo possit, *L. stipulatio. §. alteri. ff. terti quis potest de V. O.* cum sua principaliter non intersit , quod tamen hoc in casu fallit. Ratio est , quod stipulatio facta favore re piæ causæ valeat per *Bald.* qui in *L. illud. num. 2. in fin. Cod. de sacrosanct. Eccles.* ait , quod piis locis & Ecclesiis absentibus quilibet stipulari possit verbis directis ; sed eodem favore gaudent alimenta. *ergo.* Et hæc stipulatio quando juramento confirmata est, multo magis valebit, uti rationem privilegij tantum obtinebit, quando pauperi & non diviti debentur.

80. Speciali etiam alimentorum favore introductum est , ne inconsulto Prætoris aut illius decreto cuiquam liceat transigere in causâ alimentorum , ut clarè patet ex *L. 8. ff. de transact.* ibique videndæ sunt causæ ob quas Prætori licitum sit consentire, & hoc ut *Zöes.* ait *ff. d. t. n. licet.* 17. si ex testamento debeantur per *L. alimentis Cod. h. t.* nam si ex contractu debeantur, super ijs transigi posse patet ex *L. cum hi. §. 28. in fin. h. t.* qui ut obligationem posuerunt , ita eam pro lubitu resolvunt. Patitur tamen res hæc limitationes (1.) nisi alimentarius expressè suam causam meliorem faciat , *d. L. §. 6.* (2) si agatur de alimentis futuris , non etiam præteritis , cum tali casu nihil vitij contineant , alimentorumque rationem habere desierint , nemo enim in præteritum est alendus ; & hæc multo magis in pacto procedunt, in quo major est prohibitionis ratio, quod in paciscendo nihil, in transigendo autem aliquid retineatur ; fieretque tali pacto fraus Legi.

81. Ex quo patet statutum auferens alimenta filio *Statutum a-*
G 2 *non limenta au-*

*ferens non
subsistit.*

non subsistere. *Cravet. in Conf. 189. num. 3. Natta. in
Conf. 201. num. 10.* Similiter non valet consuetudo quod
filij non alantur à Parentibus, cum alimenta Jure natu-
rali debeantur, & Jura naturalia sint immutabilia, ac con-
suetudo contra jus naturale non valeat. vid. *Abb. in cap.
fin. num. 22. de consuetud. & Roch. de Curt. sect. 5.*

*Quando quis
adhuc cense-
atur pubes-
ratione re-
lictorum a-
limentorum.*

82. Alimenta si cui relinquuntur usque quo perve-
nerit ad pubertatem, tunc masculo usque ad decimum o-
ctavum, foeminae verò ad decimum quartum debentur,
L. Mela ait. ff. de alim. & cibar. legat. aliàs pubertas in
masculis incipit regulariter decimo quarto anno, in foemi-
nis verò post duodecimum §. *nostra. Instit. quib. mod. tut.
fin.* quod videantur alimenta relicta eà intentione, ut
provisum sit alimentario, donec possit per se ipsum ali-
menta comparare. At id facere nequit, nisi assecutus sit
hanc ætatem, ergo. *Decis. in L. fin. num. 3. Cod. de Carb. &
dic. Rippa in L. 2. num. 12. ff. de vulg. & pup. substit.* Sed
si relinquatur *Diviti*, aut habenti, unde se alat, DD. non
conveniunt; aliqui enim indistinctè affirmant, negantibus
alijs, ex eo quod cesset ratio d. *L. Mela ait*, adeoque &
ejus dispositio, & quod testator censeatur in dubio minus
gravare hæredem quam sit possibile.

*Legatum a-
limentorum
semper cen-
setur annu-
um, quod &
à paupere
propria au-
toritate ar-
ripi potest.*

83. Regulariter legatum non præsumitur annuum,
cum testator semper præsumatur minus velle gravare hæ-
redem. *L. unum. §. si rem. ff. de legat. 2.* hinc & censeatur
eà mente relictum, ut præstetur semel tantum, non pluries.
*L. eum qui. ff. de Ver. oblig. nisi sit modicum & persona
multum dilecta*, cum tunc præsumatur annuum, ita *Bald.
in L. 1. Cod. de fideicom. & Natta. in conf. 379. num. 2.*
vel collatum in tempus reiterabile ut ait *Natta d. L. Idem*
inductum fuit speciali favore alimentorum, ut legatum
alimentorum non censeatur unicum sed annuum. *L. lega-
tum. L. annua. §. Titia. ff. de annu. leg. vid. Socin. in
conf.*



cons. 48. in fin. vol. 3. & Natta. d.l. Ex hinc etiam, quod si alimenta relinquuntur pauperi, qui aliunde non habet, capi possint propria auctoritate, cum alimenta non patiantur dilationem, & tractetur de vitâ hominis conservanda: aliâs capiens legatum propriâ auctoritate, privatur Jure suo *L. legatum. Cod. de legat.* vid. *Rip. in L. 1. n. 17. ff. quorum legat.*

84. Præterea favore alimentorum sustinetur legatum incertum. *L. si cui. ff. de annu. leg.* cum tunc declaratur ex quantitate patrimonij testatoris, & qualitate ac dignitate legatarij. *Bart. in L. 1. num. 14. ff. sol. matr.* & *L. quidam ff. de leg. 2.* ubi addit procedere, etiamsi relicta sint diviti, cum jura in *L. cum hi. §. nihil. ff. de transact.* indistinctè loquantur. Idem sustinetur respectu incertæ personæ arguendo de pia causa ad alimenta. *Surd. h. t. num. 5.* Et stando in terminis piæ causæ, hoc est si alimenta relinquuntur Pauperi, non detrahitur falcidia de eo Legato, etiamsi excedat dodrantem hæreditatis. *Auth. similiter. Cod. ad L. falcid. §. si autem hæres.* Et hoc sive in genere relinquuntur pauperibus, sive certæ personæ pauperi, cum eadem militet ratio ut advertit *Bald. Nov. in L. 1. num. 41. ff. sol. matr.* Pro alimentis etiam proprijs ipsius gravati, imò pro alendis liberis & Nuru bona subjecta fideicommissio alienari possunt, adeoque fortius non cogitur fideicommissum restituere, si necessitate urgeatur. *Surd. h. l. num. 5.* Hinc nec Generalis ademptio Legatorum refertur ad alimenta. *L. libertis. §. posthu. ff. de alim. & cib. lega.* etiamsi, ut *Surd. seq. tit. ait, relicta sint ei, qui aliunde habet.* Summus sanè hic favor est, qui eo etiam extenditur à *Natta. in cons. 613. num. 4.* ut, quando legatum factum esset pro alimentis, non censeatur revocatum, si testator rem alienaret, ex qua sumi alimenta

Plures favores in legatis esse paucis recensetur.

oportere, modo illa recuperet, cum *L. cum servus. ff. de adim. leg.* in piâ causâ locum non habeat. Quare prædictus Auctor *in casu persone pauperis* intelligendus est. Denique dictus favor facit non extingui legatum alimentorum conditione deficiente, quacunque etiam casuali, aut potestativa, habetur enim textus in *L. libertus secundum Bart. l. lecturam. ff. de cond. & demonst. L. 1. Cod. de legat. de hoc late Surdus. t. 8. Q. 21. qui & Q. 23.* addit, quod favore alimentorum non præsumatur in dubio onus causa Legati, nec deficiat legatum onere deficiente per textum, *L. 1. Cod. de legat.*

Delinquens prohibitus alienare bona, quando adhuc valide alienat.

85. Delinquens, in casibus, in quibus ipso Jure post crimen commissum Bona publicantur, non potest alienare, licet nondum accusatus sit, cum dominio privatus, in alium id transferre non possit. *L. nemo. ff. de reg. Jur.* hoc tamen hîc fallit cum delinquens non tantum valide alienet pro alimentis sibi præstandis, sed etiam pro Advocati Salario, aliisque expensis necessarijs. *L. reos. ff. de solut. & L. Divi. ff. de legat. 1.* ubi dicitur, quod alienatione à Lege prohibita non veniat alienatio necessaria. Hinc à fortiori probatur, quod, sicut fiscus tenetur de proprio providere carcerato de alimentis, si aliunde non habet, multo magis tenebitur pati, & permittere, quod secus sibi provideat per alienationem suorum bonorum, Et hoc non tantum post litis contestationem, sed etiam post sententiam. *Galia. in consuetud. Alex. in vers. solidos. L. 6. num. 19.* Cæterum fiscus directò bona vindicare poterit, non agendo Revocatoriâ vel Rescissoriâ, nec tenetur (ut regulariter si titulo oneroso teneat) emptoribus refundere pretium. *Cyn. in L. penult. Cod. ad L. Jul. Ma. Becius in cons. 57. n. 12. Gemin. in cap. cum secundum. de heredib. n. 6.*

Patri Christiano quando

86. Homines, præcipuè Christianæ Religionis vendi vel

vel oppignorari non possunt. *L. liberi. ff. de contrab. do permis-
empr. adeo ut inter scientes ejusmodi contractus sit nullus. sum vende-
L. qui filios. Cod. qua res pign. obl. pos.* Quod tn. nostro *re filium e-
in casu non attenditur, cum pater fame laborans, & fa- jusdem Re-
me percitus per L. 2. Cod. de pat. qui fil. dist. pos. filium ligionis.*
vendere possit. Quo verbo indicatur, & pignori dari &
permutari posse, cum verbo *venditionis* omnes alienatio-
nes includantur vid. *Salic. & Bald. in L. in suis. ff. de lib.
& posth. ac L. Tria. ff. de Jur. dot.* Dicta intelligenda
sunt non tantum de infantibus, sed etiam adultis, dum-
modo necdum sint emancipati, nam hæc facultas non
tam descendit à Sangvine & amore, quam patriâ potesta-
te. Quare nostra assertio respectu filij in Clericatu non
procedit, quod ei insuper *Clericalis Ordo* repugnet. *Conas.
in L. qui liberis. num. 14. de ritu nup. & Joan. de Anan.
in cap. si quis. col. 2. nec in Matre, nec in Filio respectu
Patris, licet sint correlativa, & eadem famis necessitas
urgeat. Cæterum si pater ad pingviorem fortunam de-
venerit, pretium exsolvere tenetur, & filium redimere,
quare & si id recuset, à filio conveniri poterit, imò si ha-
beat bona propria non quæsitâ à patre se ipsum redimere
concessum est. vid. *Im. & Alex. ff. ad Trebel.**

87. Pari ratione, si pupillus fame labore, poterunt *Tutor &
vendi bona sua, ut ipsa exhibeantur, cum alijs sibi con- Prælati
junctis; Quod non tantum tutori licet, sed & Prælati
alienando bona Ecclesiæ, ad proprium & Monachorum quando suo-
sublevamen. *L. sancimus. Cod. de sacros. Eccles. quam rum bona a-
ad hoc citat Lancell. Gal. in consuet. Alex. in ver. solidos. lienare pos-
num. 15. Adverte tamen, quod non dicam, quasi propter sint?
famis necessitatem liceret bona sine debitis solemnitatibus
alienare, sed quod ea sit justa alienationis causa. licet a-
liud cum *Surd. h. t. num. 3.* crederem, si periculum in mo-
ra esset.**

88. Simi-

Uxor quan-
do dotem,
& pater bo-
na adventi-
tia filii alie-
nare possit.

88. similiter ajo, quod licet maritus sit Dominus rei dotalis quam nec vir sine uxore, nec uxor sine marito, nec unus cum alterius consensu, nec omnes simul possunt alienare, *L. fin. ff. de donat.* tamen, si uxor abes- set à viro sine culpa viri, puto fundum dotalem eam alie- nare posse, ut se scilicet alat, & suos. *Doctores in L. ubi adhuc. Cod. de fur. dot.* idem si simul habitarent, virque impotens esset ferendis oneribus. Pari ratione sustinebi- tur Patris alienatio irrevocabiliter, si hic gravi egestate laborans vendat bona adventitia filij. Ratio est, quia filium, ut dictum est, distrahere potest, ergo multo magis ejus res, cum persona sit dignior rebus. *Narra in cons. 660. num. 2. Socin. in cons. 34. num. 12. vol. 1.* Advertendum tamen, non requiri Decretum Judicis, si filij sint majores. vid. *Bal. Sali. Jas. & Castr. in L. praeses. Cod. de transact.*

Succedens in feudo, majoratu, & beneficio quando as alienum à superiori contractum exsolvere teneatur?

89. Qui succedit in feudo, non tenetur aë alienum vasalli defuncti exsolvere, si non sit illius hæres, quod & in majoratu verum. *Bald. in cap. 1. de grad. success. in feud. & in cons. 271. vol. 1.* quod & affirmat. *c. ex presentium X. de pign.* de beneficij successore. Verū dictus alimen- torum favor & in illo & in hoc fallere facit, nam si debi- tum contractum sit non pro sustentatione propriarum re- rum, sed personæ, hoc est pro alimentis illius beneficiati, successor in beneficio tenetur, cum hoc debitum exsol- vere erat Ecclesiæ injunctum; si tamen contraxerit ductus spe solvendi de fructibus Ecclesiæ. Ratio est, quia debet Sa- cerdos vivere de fructibus Ecclesiæ. *cap. cum secundum X. de preben. Joan. Andr. cap. ex presentium. de pign. ubi & Abb. num. 4. Badill. in L. unum. §. si falcidia. num. 11. ff. de legat. 2.*

An liceat ex- tremâ fame compulsus alienum furari.

90. Si quis extrema laborete necessitate potest quis alienam rem furto surripere, ut sibi de alimentis provi- videat, & non tenetur sive in foro conscientiæ, aut con- tentioso

tentioso poenâ furti. *c. discipulos. de consecrat. dist. 5. &*
c. si quis X. de furt. cum omnia tali tempore sint commu-
nia. c. sicuti hi. 47. dist. facit, quod, qui indigenti dene-
gat, videatur furtum non minus committere, quam si a-
liena raperet. vid. Tirag. in tract. de poen. temperan. cau.
44. num. 9. Et hoc etiam procedit, si alius adeo fame
prematuro: ut sit periculum, nisi subveniatur, tunc enim
aquè aliena furari, ut succuratur, tenet. D. Thom. 2. 2. Q.
66. art. 7. nisi alter sit in pari necessitate. Hæc tantum
procedere Gloss. in cap. omnes. in ver. fas. dist. 1. putat,
quando quis rem furatam statim comedit, non autem,
quando illam exportat. Verùm distinctio hæc neute-
quam placet Surdo b. l. num. 7. uti nec illorum, qui te-
nent, solum furari licere cibaria & comestibilia; tunc
scilicet non placet, quando comestibilia non inveniuntur,
ex regula quod omnia illo tempore sint communia. An
vero, si ad pinguiorem fortunam venerit, ad restituti-
onem obligetur anceps est quæstio, Et ad hoc teneri qua-
si omnium Canonistarum sententiâ inquit Benincas. in
d. specia. 9. num. 37. tutioremque in foro conscientie esse
affirmat Clar. in pract. crimin. in §. furtum. num. 25. ver.
sed vidi. Contrarium tamen tenent Scot. & Ricard. in
quarto sentent. dist. 15. nam illo tempore suum accepit,
ad quod restituendum nemo ullo tempore tenetur. Facit,
quod ideo licite capiat, quia habens tali tempore indigen-
ti dare tenetur: & si ille daret, utique non esset debita
restitutio si supervenirent opes. Ergo nec quando pro-
priâ auctoritate egens capit.

91. Ex hoc principio concludunt *Hispani additional. An ob ean-*
dem causam
ad Decis. in L. que propter. num. 5. ff. de reg. jur. pecca-
tum non esse, si mulier extrema laborans egestate se pro-
stituatur, ut victum quarat, nec ob hoc puniatur: sed his
dictum velim, nos potius mori debere, quam consentire
ceat?

H

malo

malo. vid. Gloss. in L. palam. §. non est ignoscendum. ff. de ritu nupt. hinc dicitur cap. is autem. 22. Q. 2. & cap. cum sic. 32. Q. 4. non licere furari pro faciendâ Eleemosynâ. Ratio diversitatis esse potest, quod in furto, subveniat jus naturale, in fornicatione verò jus commune contradicat, & repugnet. Quando autem dicitur *necessitas non habet legem*, dico hoc tantum procedere in casibus expressis, non vero hic, ubi omnia Jura reclamant.

Quid de expensis studiorum dicendum breviter & finaliter exponitur.

92. Aliqua de expensis studiorum dicenda, ob alimentorum favorem, restant. Ad quod communiter Auctores affirmativè respondent, inferentes ex dictis, quod impensam quoque in apprehendendis disciplinis necessariam is sustinere debeat, cui alendi onus injunctum est per textum in L. qui filium. ff. ubi pup. edu. deb. & in L. de bonis. §. non solum. ff. de Carb. Edic. vid. Rol. in cons. 22. num. 8. vol. 1. Calder. in cons. 2. de Regul. Jur. Socin. in cons. 161. in fin. vol. 2. Et hoc quando persona est docilis, & disciplina convenit sua conditioni, facultatesque ejus, qui obligatus est, id ferunt; addunt & non nulli, quando alimentâ debentur jure sanguinis & officio judicis, non verò si ex dispositione hominis, vel Jure actionis præstanda sint. ita Ang. in L. quidam cum filium colum. 2. ubi etiam Imol. ff. de verb. oblig. indistinctè tamen tenet Surd. tract. de alim. t. 4. Q. 6. num. 4. ex eo, quod si fortè arctius cogat natura quam pactum, non tamen in plus cogat. Idem tenet, dicta latè vera non esse de Jure stricto, refutans n. 6. aliorum citatas leges, licet ipse in praxi contrarium observandum admoneat; ait enim. n. 7. sed in consulendo & judicando non est tutum discedere ab opinione aliorum, cum pro his faciat. L. jus alimentorum. §. ad instructionem ff. ubi pup. edu. deb. Rationem dat, quod alimenta corpus sustentent, disciplinæ tantum animum colant, sine alimentis nemo possit vivere, sed si-

ne disciplinis & scientiis vitam quilibet traducere possit, cum videamus plures ignaros, quam scientes.

93. Ex dictis non nihil patebit, quid in similibus casibus statuendum sit; Verum quia aliquando contingit, quod conceptio mentis nostræ, Verborumque qualitas obscura sit, ideò, quæ identitatem habent, subungere lubet. Quare (1) dicimus *Viētus Relictum* idem esse quod alimentorum, *L. fin. ff. & L. alimenta. ff. de alim. & cib. legat.* quod & ait *cap. 2. in fin. de preben. de Alimonia.* (2) *relictum* alicui *Necessario Vitæ, vel subsidio vitæ*, videntur per *L. fin. Cod. de patr. pot.* etiam legata alimenta: cui convenit, quando *testator legaret vitam*, alias enim nemo vivere posset, si non cedant omnia, quæ alimentorum nomine continentur. vid. *Bart. de alim. num. 5.* citantem ad hoc *L. quos nos. §. Verbum. ff. de V. S.* Eodem modo intelligi debet *Relictum Educationis.* per *d. L. fin. ff. de alim. & cib. leg.*

94. *Gubernium domus* significat etiam relicta esse alimenta, ex eo, quod tale legatum aliàs importaret potius onus, quam commodum, quod esset contra naturam Legati. *Surd. h. t. num. 1. & 2.* qui idem statuit, quando *testator quempiam heredi suo recommendavit, & recommendatum esse voluit*: Et hoc si factum sit in omni casu necessitatis, sive autem loquamur de *Paupere*, sive de *Alio*, indistinctè tamen verum esse, putat prædictus *Aulior h. t. num. 4.* Dicta quoque procedunt, quando *testator simpliciter & absolute aliquem tractari ut filium mandat*; & hoc tam in contractibus, quam in testamentis. An vero talis hæres absolutè teneatur, an verò tantum in casibus in quibus teneretur pater filium alere controversa est Quæstio, quam, quia latè tractat *Surdus de alim. t. 2. Q. 10. num. 13.* ipse videndus est, confirmans, *n. 1. 6. & 9.* quæ modo attigi.

An alimentorum nomine veniant *Viētus Relictum, Alimonia, si testator legat vitam, vel relictum subsidium vitæ?*

Item an *Gubernium domus, si testator quempiam recommendavit heredi, vel ut filium tractari jussit?*

*actiones quæ
competant,
brevisimè
recensentur.*

95. Finaliter actionem inquirimus, brevisime statuentes & dicentes, inter Patrem & filium, Litem quidem ut superius dictum esse posse, non tamen actionem, ideoque ab his alimenta petenda esse *Officio Judicis. L. si quis in princ. de lib. agnos. & ale. c. cum haberet. ubi Glos. Abb. de eo qui dux. in Uxo.* Quæ intelligenda sunt de *Avô & nepote, paterno vel materno*, in casibus, quibus alere tenentur. Eodem modo discurre de *Matre*. Quod tamen limitatum velim, (1) si alimenta debeantur *loco Legitime*, cum tunc *Jure actionis* veniant. *Surd. h. t. num. 29. 30.* (2) Respectu *Uxoris*, cum hæc petat fructus, & alias dotis accessiones, eâ ipsâ actione, quâ petit dotem. *L. si marito. §. fin. ff. solut. matr.* quam citat, & latè tractat *Surd. h. t.* Cæterum à multis adhuc alijs personis implorandum est officium *Judicis*, & primo quidem à secundo genito respectu primogeniti, à Patrono respectu Liberti, à Patrono Ecclesiæ respectu Ecclesiæ. (2) in Legato in piâ causam. *L. hereditatis ff. de petit. hered.* & notatur in *L. 1. Cod. de Sacros. Eccles.* ubi legata pro animâ petuntur mandari executioni officio *Judicis*. (3) à Domino loquendo de Vasallo, à Donatore loquendo de Donatario. De his omnibus latè tractat *Surdus de alim. t. 3. Q. 2. 3. & 4.* quare ipse à Curioso Lectore est legendus. Plura hac de materiâ differere temporis brevitatis nequitiam patitur, quare, ei dum choronis imponitur, *Deo Ter Optimo Maximo* sint infinitæ laudes, laudum infinita præconia; Vobis verò *Benevolis Lectoribus*, qui ea in benignam partem interpretaturi eritis, grates, quas & debeo, & possum, refero maximas.

F I N I S.




Erfurt, Diss.) 1690/92




Sb.

1077







1691,8
A8

DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
ALIMENTIS,

Oder
Nöthiger Unterhaltung/
Quam

DIVINA AUXILIANTE GRATIA
EX DECRETO & AUTHORITY MAGNIFICI JCTORUM
ORDINIS IN PERANTIQA CELEBERRIMA ELECTO-
RALI UNIVERSITATE HIERANA

P R Æ S I D E

VIRO PRÆNOBILI ac CONSULTISSIMO

DN: JOH: HENRICO

Meier / J. U. D.

Jurid. Fac. p.t. DECANO, Judicii Elector. Assess.
& Decret. Prof. Public.

PATRONO ac PRÆCEPTORE suo devenerando
PRO OBTINENDIS

JURIBUS & PRIVILEGIIS DOCTORALIBUS
Eruditorum disquisitioni submitte

JOHANN-JACOBUS Passer/

Moguntinus ibiq; ad S. Victorem Canonicus,

IN AUDITORIO JURID. MAJORE, Horis consvetis.

d. 20. (10.) Decembr. Anno ∞ Inc XCI.

ERFORDIÆ, Stannó GROSCHIANO.